Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Müller

Theologia Scholastica : Cum Indice Triplici

Rostochi[i]: Richelius, 1656

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506

Druck Freier Zugang


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730226506/phys_0001
DFG

Fh_3314.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0002
DFG


Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

G. dupl. 2.

THEOLOGIA SCHOLASTICA,

Authore

HENRICO MÜLLERO,
ROSTOCHIENSE,
S. S. Theol. Doctorando.

Cum Indice Triplici.

ROSTOCHI
Typis & impensis Johannis Richelii,
ANNO cIↃ IↃc LVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiæ
Rostochiens.

SERENISSIMO AC ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO LUDOVICO,
DUCI BRUNSVICENSIUM
ET LÜNEBURGENSIUM,
PRINCIPI ET DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

SERE-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0007
DFG

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

Incomprehensibile esse Supremum Numen, cujus moderationi omnia subjacent, cujus nutui omnia parent, etiam illi fateri coacti sunt, qui, teste Paulo, sunt sine Deo, & non noverunt Deum *Eph. II.* & *I. Thess. IV.* Simonides n. interrogatus ab Hierone Rege Siculo, inquit Cicero *l. I. de Nat. Deor.* quid Deus sit, diem unum huic considerationi petiit: elapso illo, nõdum sibi liquere dixit, & biduum in eandem deliberationẽ postulavit. Elapso & biduo, triduum sibi deposcit, deniq; id unum respon-

ſpõdit, quò plus cogitaret, plus cogitandum occurrere; minus atq; minus expediri ſe, quò diutiùs in hâc cogitatione luctaretur. Non abſimile eſt, quod de Evclide Philoſopho refert Maximus *Serm. XXI.* quod, cùm à quodam interrogaretur, qualis eſſet DEus? reſponderit, cætera quidem ignoro, at curioſos illi odio eſſe certò ſcio. Quis n. in hâc rerum infirmitate divini eſſe attingat excellẽtiam? Quam ingenuè v. Cicero *pro lege Manilia:* Homini timidè de poteſtate Deorum & pauca dicẽda ſunt. Si enim quæ in formicâ & palea cõtineãtur virtutes & proprie-

tates, ignoramus; quid de divina natura & perfectionib9 ejus dicendum? Ut Ethnicos mittam, insigne est, quod de excellentiâ divina scribit Cæsarius *Dial. 1.* Quoties, inquit, divinarum rerum sublimitatem intueor, mox vertigine correptus tremo: illorum instar, qui de excelso montis vertice in imẽnsum mare prospectãt, vel idem accidit mihi, quod iis, qui dùm & læsis oculis, & puro meridie sole celum perequitante, imõto hunc vultu intueri conãtur, victi à nimiâ radiorum copiâ & orto ab iis splendore, vidẽdi facultatem amittunt. Possent me

& de-

& debuissent omninò hæc sapientum effata absterrere, ne huic oneri collum subjugarem, meque in abstrusissimum *Divinitatis* mysterium demitterem, sed animavit illud Augustini; attingere mente Deum aliquantulum magna beatitudo est. Imò, mel merum est ab omni amarore defecatum. Assvetudo constans hæc talia leni progressu docet, & volenti hoc facillimum, quia solatii refertissimũ. Ipse Deus ad sui investigationẽ nos trahit gemino lumine, supernaturali uno; altero naturali. Lumen supernaturale à Deo est, & nos de Deo erudit; juxtà

illud Psalmi: *In lumine Tuo videbimus lumen.* Hinc inter omnes merè corporeas creaturas nulla est, quæ DEO magis assimiletur, quàm Sol: sicut enim Sole mediante reliqua omnia corporalia videmus, & à solo Sole Solis adspectum habemus; sic à Deo solo rerum omnium, ipsiusq; Dei cognitionem habemus, &, ut ait Philo: Veritatis studiosi Deum à Deo adjuti quærunt, & ope luminis lumen. Naturale lumen in creaturis vestigia quædam perfectionis divinæ habẽtibus, monstrat Deum. Adspice celũ, quàm latè tenditur, quàm rapidè volvitur, quàm ornatè

in no-

in noctem astris distinguitur, in diem sole lustratur: jam scies, quàm sit in eo summi moderatoris mira & divina libratio. Vide & annum ut solis ambitus faciat, & mensem vide ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarũ & luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis & quietis alterna reparatio? quæ singula non modò ut crearentur, fierent, disponerẽtur, summi opificis & perfectæ rationis eguerunt: verum etiam sentiri, perspici, intelligi sine summa solertia & ratione non possunt. Quid, cum ordo temporum hâc frugum stabili

varietate distinguitur? nonne auctorem suum, parentemque testatur? ver æquè cum suis floribus, & æstas cum suis messib9, & autumni maturitas grata, & hiberna olivitas necessaria: qui ordo facilè turbaretur, nisi maximâ ratione consisteret. Jam providentiæ quantæ, ne hyems solâ glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumni & veris inserere medium temperamentũ? Maris vehementia littoris lege stringitur; quicquid arborum est, vide, quàm è terræ visceribus animatur. Aspice oceanũ, refluit reciprocis æstibus: vide fontes, manant venis

peren-

pereñibus, fluvios intuere, eunt ſemper exercitis lapſibus. Quid loquar aptè diſpoſita recta mõtiũ, collium flexa, porrecta camporum? loquatur pro me Pſaltes: Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. *Pſ. XIX.* Hoc gemino lumine, revelationis nempè gratioſæ & naturalis fretus, de Deo aliquid in hoc opusculo ſi non loqui, tamen balbutire volui, ut & meam ergà Numen pietatem declararem, & nonnullorum flagitationi ſatisfacerem.

Ceterum, tractatui huic cùm nominis alicujus autoritatem

præ-

præstruere meditarer, quo se à seculi malignitate tueretur, TUUM, SERENISSIME PRINCEPS, destinabam. Audendi animum fecit in summo magistratu, summa TUÆ ILLUSTRISSIMÆ CELSITUDINIS clementia

Rara avis in terris, nigroq; simillima Cygno,

inprimis apud eos, qui rerum potiuntur. TIBI verò, INCLYTISSIME HEROS, non adscitia, sed innata. Cæterarum TUARUM Virtutum solidissimam catenam hîc multis verborum laciniis deprædicare TUA, AUGUSTE PRINCEPS, supra omnes laudes posita magnanimitas nõ

patitur

patitur. Nec n. laudari, sed laudanda facere TIBI semper cordi fuit. Id unicum ne sicco pede transeam, quod generosâ fiduciâ animum erigit, ut non dubitẽ mihi vaticinari, labores hosce SERENISSIMO TUO NOMINI gratos acceptosq; fore. Orbis undiquâque totus loquitur, quod literatos omnes benevolentiæ TUÆ aurâ complectaris foveasq;, ut jure merito omnigenæ sapientiæ stator ac liberalissimus Mecœnas audias.

Tu, DOMINE CLEMENTISSIME, tenuem hunc laborem, serenissimo vultu, pro solita clementia, suscipe; recordatus, quon-

dam

dam Magno Regi nec colonum displicuisse, qui cætera destitutus, cavis manibus lympham offerebat, liquidam subjectionis suæ testem.

Jhovah, cujus moderamini omnia subsunt, AUGUSTAM CELSITUDINEM TUAM cum Tota SERENISSIMA DOMO, publico terrarum bono Nestoreis annis salvam incolumemq; præstet. Dabam Rostochii ipsâ Dominic. Paschat. Anno 1656.

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS

Humilimè devotissimus

Henricus Müller/ Theol. Doctorandus, & Rostochii ad Div. Mariæ Archidiaconus.

Lectori benevolo salutem!

THeologiam Tibi, Lector Benevole, *exhibeo Scholasticam: Theologiam, inquam, non latè sumtam, quæ & tremendum Oeconomiæ mysterium complectatur; sed in rigore dictam, quæ Deum speculatur Trinunum, totius hujus universi creatorem ac gubernatorem summè sapientem, summè potentem. Scholasticam appello, non quod DD. Scholasticos tantoperè exosculer, ut eis erroris stigma inuri posse negem: errasse sæpiùs eos, hic liber abundè demonstrat: Nec v. mihi displicet judicium, quod de Theologia Scholastica tulit D. Jacobus Revius, in suâ super Swaref. Repurg. ad Per-Illustres Holland. Ordines præfatione, ubi scribit, Theologiam Scholasticam magnis & penè desperatis morbis teneri, tùm ob immodicam ejus curiositatem & περιεργίαν, quâ fit, ut nihil ignorare, & ubi maximè delirat, ibi altissimum sapere videre velit: tùm propter obscuritatem, partim è seculi, quo nata est tenebris contractam, partim de industriâ affectatam: tùm ob servitutem, quam immiti Domino servit, cujus decretis ac placitis, velut Ixionis rotæ, alligata est. Etenimverò nec negari potest, multis istiusmodi de Theol. Scholast. judicium ignorantiæ ac ruditatis pallium esse, qui dùm vix unum aut alterum ex DD. Scholasticorum libris primoribus labris degustárunt, quia non est ad ipsorum palatum, nec protenus atq; legitur, ipsis sese pandit, obscuritatem crepare, curiositatem suggillare, quin interdum horrendas opiniones Doctoribus istis affricare audent, quæ ne per somnium quidem ipsis unquàm in mentẽ venerunt: Habet suos Theologia Scholastica nævos,*

quos

quos jam perstrinximus: habet suam necessitatem inprimis hâc ætate, quæ Theol. tot difficultatibus & obscuritatibus immersit, ut sine accuratâ Theologorum Scholasticorum intelligentiâ, vix emergere queas: Prægustum quendam in hoc de Deo Trinuno Opusculo Tibi, B. L. exhibere volui, in quo valdè defœcatè nonnulli ex celebratis Doctoribus scripserunt: Scholasticum autem voco opusculum, tùm, quia hæc in Scholis utilissima Theol. tradendi methodus est, ut juvenum acuantur ingenia, iisdemq; ad Philos. addiscendam calcar addatur: tùm, quia in nonnullis Doctorum Schol. vestigiis pressè insistere volui. Equidem navavit antè me hanc operam Vir in hoc studiorum genere Præclarus, Martinus Becanus, è Soc. JESU Theologus Pontificius, sed, quod dolendum est, geminam is servit servitutem, Thomæ unam, alteram Papæ: Ego v. nec quæ Thomas dicit, pro oraculis habeo; nec Papæ rancidis & inolitis opinionibus fucandis immoror. Tu his utere, fruere; &, si quid, quod ædificare possit, invenis, DEO acceptum refer: si autem alicubi humanitus hallucinatu Tibi visus fuero, eo candore ergà me utere, quem ab alii ergà Te optares. Scitum dictum est Hieronymi in Jon. c. 4. Carpere & detrahere vel imperiti possunt. Doctorum autem est, vel lassis manum porrigere, vel errantibus iter ostendere. Si opusculum hoc gratum fuisse sensero, mox ad CHRISTOLOGIAM SCHOLASTICAM me accingam. Benè Vale in Dn. JESU!

THEO-

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

CAPUT I.

DE

Essentia & Attributis divinis in genere.

§. 1.

ESsentia divina consideratur, vel ut noscitur à nobis, vel ut existit.

§. 2. Noscitur Deus vel ex natura, vel per revelationem, vel per visionem, quorum primus & secundus modus viatorum est, tertius reservatur patriæ.

§. 3. Notitia naturalis est vel insita, vel acquisita. De priori loquitur Paulus, *Rom. I, 19. II, 14. 15.* eamq; probat metus Dei, ut peccatorum vindicis, & interdum conscientiæ testimonium. Posterior acquiritur per ratiocinationem, *Rom. I, 20.* Illa ratiocinatio facit vel demonstrationes, vel argumenta topica: Demonstrationes sunt vel ab effectu & signis, vel ab imposibili. Priores notitiam confusam tantùm pariunt, & quidem ostendunt DEum, non ut creatorem, sed tantum ut effectorem hujus universi; posteriores autem quid non sit Deus potius, quàm quid sit, docent. Tales demon-

strationes exstant apud Damascenum *l. I. de O.F. c. 2. & 3.* Richardum de S. Victore *l. I. & II. de Trin.* Thomam *l. cont. gentes c. 42.* Argumenta verò Topica ducit ab analogia *Sap. XIII.* quando â magnitudine, pulcritudine & ordine creaturarum opifex ἀναλόγως s. proportionabiliter cognoscitur.

§. 4. Utraq; notitia naturalis consideratur vel quoad κ]ησιν, s. possessionem, vel, quoad χρῆσιν, s. usurpationem. Ratione κ]ήσεως gentiles dicuntur γνῶν]ες τὸν θεὸν *Rom. I, 21.* ratione χρήσεως v. dicuntur veritatem Dei, h. e, veras notitias naturales de Deo detinuisse in injustitia *v. 18.*

§. 5. Utraq; est imperfecta tùm quoad theoriam, tùm quoad praxin. Quoad theoriam; quia tantum τὸ γνωστὸν τ θεῦ h. e. aliquid de Deo cognoscibile, s. cognitu possibile assequitur. Itaq; hæc notitia est conjuncta cum ignorantia, quâ id, quod de Deo cognoscitur, non applicatur ad verum Deum, sed attributa, quæ de Deo noverunt gentiles, tribuunt falsis diis. Unde *Eph. II.* gentiles dicuntur ἄθεοι, & *Act. XVI, 21.* incognitum Deum colere. Aristoteles *l. II. Prior. cap. 21.* nominat ἀπάτην καθ' ὑπόληψιν *deceptionem ex falsa subsumtione.* Propositio Syllogismi gentilium quidem vera est: Est Deus unus,

unus, justus & bonus, effector ac gubernator hujus universi. Sed non subsumunt posteà & applicant notitiam hanc generalem ad DEUM Israelis, verùm proprietates divinas tribuunt creaturis, ut operibus celestibus, v.g. Soli, Lunæ. Unde Græci Soli à cultu divino nomen tribuunt ἥλιος, ab Ebr. אלוה & propterea substituunt falsam assumtionem. Sol, Luna, Mars, &c. est ens unum, bonum &c. atq; hinc inferunt falsam conclusionem E. Sol, Luna, Mars &c. est Deus. Hi sunt illi διαλογισμοὶ, in quibus ethnici dicuntur vani facti *Rom. I, 21* Quoad praxin imperfecta est, quia nihil continet de fide in Christum, & operibus verè bonis, h e. ex fide in Christum profectis ad Dei gloriam.

§. 6. Finis s. Usus notitiæ Dei naturalis est, per se quidem, ut detur occasio quærendi Deum, h.e. in ecclesia discendi doctrinam salutarem de Deo ejusq; voluntate: accidentarius est, ut gentiles sint ἀναπολόγητοι, quando occasionem hanc quærendi Deum negligunt.

§. 7. Notitia Dei verbo divino revelata explicat & *quid* sit Deus, & *quis* sit.

§. 8. Essentia Dei, prout existit, consideratur per varia *attributa* tàm οὐσιώδη, s. *quidditativa*, quàm ἐπουσιώδη, s. *quidditatē consequentia* Cum enim essentia divina, prout in se est, nec propter

ſummam ſimplicitatem & infinitatem definiri poſſit; (nullum enim genus habet, quod infinitum eſt, nec ex genere & differentia coaleſcit, quod omnis omninò compoſitionis expers eſt;) neq; verò etiam propter eminentisſimam perfectionem uno aliquo conceptu adæquato à nobis apprehendi, neceſſe eſt, ut per multos conceptus, & varia nomina eam explicemus, quæ quatenus attribuuntur Deo, jam quodammodo in ſua entitate & eſſentia concepto, attributa ejus dicuntur. Nimirum, quicquid de Deo prædicatur, vocatur ejus attributum, ſ. ſit ipſius eſſentia, ſ. proprietas, ut ſic quoad noſtrum concipiendi modum appellemus, eſſentialis.

§ 9. *Attributa Dei ſunt omnia eſſentialia.* Deus enim omnia illa habet cum ſumma unitate, & ſimplicitate per eſſentiam ſuam. Omnia alia præter Deum dicuntur entia, quia participant eſſe: Deus, quia eſſentialiter eſt ſuum eſſe: omnia alia dicuntur vivere, quia in ſe operando ſe movere poſſunt; Deus, quia per ſuam eſſentiam ita vivit, ut, quicquid eſt perfectionis in actuali & interna operatione, per ſe eſſentialiter habeat. *Dices*; quod eſt de eſſentia, ne ratione quidem poteſt præſcindi ab eſſentia, ergò, ſuppoſitâ eſſentiâ conſtitutâ & conceptâ, reliquum, quod ei attribuitur, non poteſt eſſe de eſſentia. *Reſp.* Cum de Deo prædicamus, eſſe ſapientem, juſtum

stum &c. ex parte quidem subjecti concipimus aliquid, in quo intelligimus, esse totam essentiam Dei, nihilominus per prædicatum non attribuimus ei aliquid, quod in ipso subjecto conceepto essentialiter non includatur, sed explicamus & distinctè enuntiamus, quod in essentia subjecti confusè tantum concipiebatur.

§. 10. Attributa ergò divina reipsâ & inter se, & cum essentia divina identificantur, nec multa sunt in Deo, sed unum, & quidem ità, ut eorum nihil antecedat, nihil consequatur. Undè Augustinus *Tract. X. in Ioh.* Deo consubstantiale est, quicquid ejus est, & quicquid est. & *l. XV. de Trin. c. 5.* Non est aliud sapientia, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse. In hoc etiam sensu dixit Isidorus *l. I. de S. B. c. 1.* in Deo, non aliud est ipse, & aliud, quod in ipso est. Et Richardus de S. Victore *l. I. de Trin. c. 17.* Quicquid in Summo Bono est, verè, & summè unum est, nec ibi aliud & aliud esse potest, sed idem ipsum est totum, quod est. Alii sic efferunt canonem: *Attributa Dei & Deus convertuntur*, s. reciprocantur: item; *non differunt ex natura rei.* Quæ enim differunt ex natura rei, ea vel sunt res plane diversæ, & in specie dicuntur *realiter* differre, sicut corpus & anima, homo & equus: vel sunt unius ejusdemq; rei diversæ definitiones, aut diversi modi, ut in actione fri-

gefactionis τὸ frigefacere, & frigefieri, & distinguuntur *formaliter*, aut *modaliter*. Jam Attributa divina nec distingvuntur ut diversæ res; (in Deo enim, qui est simplicissima essentia, non datur aliud atq; aliud;) nec Deus est una res diversas quidditates s. modos in se habens, quia hoc esset contrà Dei perfectionem, & ità Deus non esset ex seipso sapiens, justus, æternus &c. sed per aliud sibi additum. *Dices* 1. attributa divina habent contrarios effectûs: justitia damnat; misericordia salvat. 2. habent diversas definitiones 3. unum de altero non potest prædicari, non enim possum dicere: Bonitas Dei est sapientia Dei 4. non sunt synonima quoad voces, cum de Deo efferuntur, sicut apud nos gladius & ensis 5. possunt separari. Humana enim natura Christi rectè dicitur omniscia, minimè tamen æterna. Ergò differunt realiter. Sed *Resp.* ad I. diversi effectus diversa agnoscunt principia in nobis, in quibus substantia à qualitatibus, & qualitas una ab altera differt, sed non in Deo, qui per unam & simplicissimam essentiam non solùm est quicquid est, sed omnia etiam efficit, quæcunq; agit. 2. justitia & misericordia in ipso Deo non sunt reâpse distincta, sed saltèm prout inadæquatè à nobis concipiuntur. Ad II. nego, si definiantur, justitia & misericordia divina, (de nostra enim non est sermo,)

mo,) prout in se sunt; aliud tamen dicendum est, si definiantur, prout à nobis concipi possunt. Ad III. disting. inter sensum identicum & formalem. Si Bonitas & Sapientia Dei spectantur, ut in se sunt, vera est hæc propositio: Bonitas Dei est sapientia Dei: nam quoad rem ipsam identificantur. Sin spectantur, prout à nobis concipiuntur, falsa est. Quia autem communiter, ut concipimus, ità loquimur, fit ut absolutè & rectè sic dicatur: Bonitas Dei non est sapientia ejus, sensu formali. Quod si autem eadem hæc designare cupimus, non ut concipimus, sed ut in re sunt, adjectione aliquâ utimur, & ità dicimus: Bonitas Dei à parte rei est ipsa sapientia ejus, sensu identico. Ad IV. Synonyma non statim sunt, cum duæ aut plures voces unum quid significant, sed cum unum uno modo conceptum & apprehensum. Ad V Communicatio proprietatum divinarum consideratur vel quoad possessionem; sic carni Christi omnes, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, est communicatum: Vel quoad denominationem & usurpationem; sic non omnia attributa, sed ea tantum sunt communicata, quæ requiruntur ad officii efficientiam, quia infinitudo, æternitas, spiritualitas &c. nec in ipso Deo progrediuntur foràs ad aliquid operandum circà creaturas. E. nec humanæ naturæ communicantur quoad

usurpationem, quia usurpatio illa non pertinet ad efficientiam officii Christi. Et, quia non omnia attributa sunt communicata quoad usurpationem, ideò nec quà immediatam denominationem. Neq; enim humana natura dicitur infinita, æterna, spiritualis &c. personaliter, sicut rectè συνδυασικῶς & ὑποστατικῶς dicitur omnipræsens, vivifica &c. Interim reliqua attributa, etiam ἀνενέργητα mediatè denominant humanam naturam, quia etiam ipsa sunt communicata carni Christi quà possessionem, & una proprietas ab altera est inseparabilis, imò, citrà respectum ad operationem, omnipotentia Dei est ipsa æternitas, ipsa immensitas. Juxtà hanc ergò individuam necessitatem attributorum Dei, quatenus possidentur, universa & singula habitant in carne Christi. Sic Filius hominis dicitur habere æternam potestatem *Dan. VII.* Licet itaq; non denominent immediatè humanam naturam, denominât tamen, mediante aliquo attributo ἐνεργητικῷ, (ut in h. l. potestatis,) propter individuam attributorum necessitudinem.

§. 11. Nostro tamen considerandi modo, qui compositus est, attributa, ut multa & diversa, discernuntur. Loquimur enim de Deo, ὅσον ἡμῖν ἔφικτον, *quantum nobis licet assequi*, ut loquitur

quitur Basilius. Sic Athanasius *dial. I. de Trin.* diversitatem attributorum Dei dicit esse κατὰ διαφορὰν ἐπινοίας, ἢ κατὰ σύνθεσιν *secundùm diversas considerationes, non per compositionem*. Ratio est, quia omnia etiam verba, quæ de Deo usurpamus, tantum per similitudinem quandam captamus ad hoc mysterium, ita ut assimilatio s. comparatio hæc fiat, non secundum paritatem, sed quoad processum à minori ad majus, ut docet Chemnitius in *L L. Tom. I. cap. 3.* *Dices;* Si attributa non sunt ita in Deo, ut nos ea concipimus, sed alio modo, falsò illa ei tribuuntur: quando enim cum imperfectione concipitur, quod perfectissimum est, error in conceptu illo sit oportet. *Resp.* Dupliciter aliquid dicitur concipi cum imperfectione: *Primò*, quoad objectum, cum res ipsa concipitur ut imperfecta, & sic errat, quisquis cum ulla imperfectione Deum concipit: imperfectionem enim is nullam habet. *Secundò*, quoad modum, cum modus tantum concipiendi imperfectus est, s. cum non concipitur res ut imperfecta, verùm imperfectè & imperfecto modo: & hoc pacto, Deus, qui perfectissimus est, cum imperfectione concipitur; idq; sine ullo errore. Sicut enim nullus in eo est error, cum res corporeæ modo spirituali, singulares universali, privativæ positivo concipiuntur, sed tum demum, si corpus

spiritum, singulare universale, privativum positivum esse nobis persuadeamus: ita nec error in cognitione est, cum Deus imperfecte concipitur, sed tum demum, cum Deum imperfectum esse nobis imaginamur.

§. 12. Non tamen attributa Dei prorsus sunt æquipollentia. Nam aliud mens humana concipit, cum audit, Deum esse æternum; aliud, cum audit, eum esse justum. Videatur Damascenus *l. I. de O. F. c. 16.*

§. 13. Hinc emergit Porisma: In Deum non cadit accidens Optimè Cyrillus *l. XI. Thes. c. 1.* dicit, nihil omninò accidere substantiæ Dei, quoniam in seipsa perfecta est, & immensum omnium perfectionum pelagus, sed tamen cogimur nonnunquam quasi-accidentia, etsi omninò non accidant Deo, hæc dicere, & mente, accidentium modo, concipere. Conf. Augustinus *de vera innoc. c. CVIII. & l. V. de Trin. c. 16.*

§. 14. Attributa DEI essentialia alia sunt *positiva*, alia *negativa*.

§. 15. *Negativa* sunt, quibus removetur imperfectio à Deo, sic ut connotetur imperfectioni opposita perfectio. Non g. valet consequentia: Quæcunq; attributa removent aliquid ab essentia divina, illa non sunt essentialia. Nam negativa attributa considerantur tùm *formaliter* tùm *materialiter*, & fundamentaliter. Priori tantum

tum modo negant, & removent aliquid ab essentia; posteriore dicunt positivam quandam perfectionem. Sic cum dico, Deus est incorporeus: nego quidem, illum habere corpus, sed ita, ut connotem, illum habere essentiam spiritualem. Et hoc est, quod Isidorus Clarius inquit, in illis negationibus, quas de Deo efferimus, non simplicem ac solam ineſſe negationem, sed excellentiores ibidem positiones, affirmationesq; delitescere.

§. 16. *Positiva* attributa sunt, quæ affirmant aliquid de Deo: suntq; vel *absoluta*, vel *relativa*.

§. 17. *Absoluta* sunt, quæ DEO tribuuntur ἀπλῶς, absq; relatione *v. g.* esse spiritum.

§. 18. *Relativa* sunt, quæ DEO tribuuntur cum aliquo respectu. Et hæc sunt duplicia: alia *essentialia*, quæ terminantur ad creaturas, cum vocatur creator, Dominus &c. alia *personalia*, quæ intrà ipsum Deum terminos suos habent, s. quando relationes intercedunt inter ipsas personas divinas, undè alia dicitur Pater, alia Filius, alia Spiritus S. Prioris generis attributa huc pertinent; posterioris non item. Personalia enim attributa non sunt essentialia. *Relativa* autem attributa, quæ *adextrà* dicuntur, & Deo respectu creaturarum relationem tribuunt, considerantur vel *præcisè* & *actualiter*, prout notant actum aliquem, Deo in tempore competen-

petentem, ut cum dicitur creator, Dominus creaturarum, Salvator &c. vel *habituáliter*, sic, ut præter actum connotent potẽtiam divinam, quæ requiritur ad creationem, dominatum, & alias actiones, DEO in tempore competentes. Et posteriore tantum modo relativa attributa sunt essentialia, atq; intrinsecè denominant Deum; priore a non nisi extrinsecè denominant Deum, & per consequens non sunt essentialia.

§. 19. Attributa Dei essentialia absoluta sunt vel ἀνενέργητα, quæ manent in ipso sinu Deitatis, sic ut Deus per ea nihil ad extra operetur: vel ἐνεργητικὰ, s. operativa, quæ Deus exserit ad extra, manifestans se creaturis.

CAPUT II.

De

Unitate & Simplicitate DEI.

§. 21. De Attributis divinis singulatim dicturis, primò occurrit *Unitas*, &, quæ sub ea continetur, *Simplicitas*.

§. 21. UNITAS *essentiæ Dei est, quâ per naturam suam est indivisibilis, nec habet essentiam à seipsa discrepantem, ab omnibus autem sive entibus, sivè non-entibus divisam.* Quemadmodum Unitas entis propter summè obscuram suam naturam communiter describitur negativè per indivisionem; sic quoq; Dei unitas sub conceptum nostrum aliter venire nequit, quàm, ut est indivisibilis, *h.e.* nec

nec actu divisa, nec potentiâ dividua. Deus enim ita est unum ens, ut plura entia Dei, aut plures dii esse nequeât. Si quis tamen positivum unitatis conceptum rimari velit, fortè illum convenientius eloqui non poterit, quàm si dicat, Unitatem Dei esse identitatem essentiæ divinæ in tribus personis, aut determinationem essentiæ in seipsa, secundùm quam Deus est id, quod est, & non aliud, nec receptum ab alio, nec in alio. Et ab hâc identitate essentiæ divinæ in personis fluit identitas operationum ad extrà.

§. 22. *Deus est unus numero, imò plusquàm numero unus.* Quemadmodum Unitas, ità etiam numerus non dicitur eodem modo. Nam *Unitas* alia est *quantitativa*, s. *prædicamentalis*, & pertinet ad prædicamentum quantitatis, estq; principium numeri corporum: alia est *transcendens*, quæ ipsam rerum naturam consequitur. Et talis Unitas est in Deo, eaq; vel *essentialis* & *absoluta*, vel *personalis* & *relativa*. Unitas essentialis Dei est indivisio essentiæ divinæ: Personalis est ὑποστάσεως cujusq; personæ Deitatis unitas. Similiter & *Numerus* non est unius modi; alius est *prædicamentalis*, qui est quantitas discreta & multitudo per unitatem quantitativam mensurata: alius *transcendens*, isq; nihil aliud est, quàm, res, quatenus sunt differentes, s. distinctæ Et de hoc Damascenus *l. III. de O. F. c. 8.* ait: *Numerus est rerum*

rerum differentium, & quo modo eæ sunt differentes, eo quoq; modo numerantur. Sic in personis divinis est numerus, non tamen essentialis, sed personalis & relativus, quomodo non indivisa, sed divisa, *h. e.* realiter distincta sunt suppositа divina Ab hâc divisione, sivè (ut magis propriè vocem divisionis à Patribus Latinis Græcum vocabulum διαιρέσεως imitantibus usurpatam efferamus,) distinctione reali ὑποστάσεων, est quoq; divisio s. realis distinctio operationum Dei ad intrà. Et ab hâc unitate numericâ transcendente Deus dicitur unus, item, essentia individua, & singularissimè singulare Ens.

§. 23. *Deus ita est unus numero transcendente, ut excludat numerum quantitativum, & simul sit exclusivè unus, h. e. unicus.* Unum transcendens vel est unum *universale*, s. in multis; vel *singulare*. Illud non excludit, sed continet numerum, quale est unum specie & genere. Hoc vel *secundum quid* est tale, vel *simpliciter*. Prius est, quod ita est unum, ut tamen præter illud sint alia ejusdem essentiæ vel ordinis individua. Sic Petrus Apostolus est unus numero homo, non tamen est unicus homo. Posterius est, quod solum est & unicum, & præter quod non est aliud: ita unus numero est mundus, Sol, Luna &c. Et hoc modo Deus est unus numero. In eodem sensu Scholastici dicunt, Unitatem gemino modo posse præ-

prædicari de Deo: uno modo, *affirmativè*, sicut de quolibet ente affirmatur, esse unum, etiamsi multa similia entia existant, quia esse unum in hac significatione, non negat esse alia similia, sed negat divisionem in ipsa re, quæ una esse dicitur, & ponit distinctionem s. divisionem ab aliis. Altero modo, *exclusivè*, quia præter Deum nullus est verus Deus, nec esse potest.

§ 24. *Deus ita est unicus, ut sit prorsus individuus, nec sit, nec possit esse in essentia multus aut multiplex.* Omnia quidem monadica individua, ut, mundus, Sol, Luna, sunt indivisa actu, imo etiam certo respectu indivisibilia, quatenus plura istiusmodi entia in rerum natura non dantur; attamen continent in se communem quandam naturam, quæ posset etiam aliis talibus entibus, si Deus ea vellet creare, communiter competere: sic Sol in se continet communem quandam naturam, & si Deus vellet 100. Soles existere, hæc communis natura hujus solis omnibus istis posset communicari. Verum Deus tàm actu, quàm potentiâ omni modo individuus est, nec in se habet universalem quandam naturam, sed merè & singularissimè singularem, vel, ut Lutherus *in c. I. Gen.* loquitur, *unissimè unam.* Hinc Antiqui Philosophi Deum vocarunt *ipsum unum.*

§. 25. Probatur autem hæc Unitas Dei singularissimè monadica, tûm *ex fide*, tùm *ex natura*,

§. 26.

§. 26. *Fides* suppeditat propositiones partim *exclusivas*, excludentes alia subjecta à participatione hujus prædicati *Deut XXXII, 39. I. Cor. VIII, 5. 6. Eph. IV, 6. Ioh. XVII, 3.* partim *exceptivas negantes*, h. e. removentes attributa unius veri Dei ab aliis entibus & non-entibus *Ps. XVIII, 32. Marc. XII, 32.*

§. 27. *Ex natura* demonstrari non posse unitatem Dei, volunt Occam & Gabriel; contrarium statuunt, ex Patribus, Cyprianus *de unit. idolorum.* Justinus *de Monarchia.* Tertullianus *cont. Praxean.* Athanasius *de comm. essent. divinitatis.* Nazianzenus *de Natali Domini.* Basilius *in orat. cont Sabell. & Arrium.* Ambrosius *l. I. de Fide c. 1.* Augustinus *l. I. de Trin. c. 4.* Lactantius *l. I. de falsa relig. c. 3.* ex Scholasticis Thomas *p. 1. q. 2. a. 3.* ejusq; Sectarii. Rationes pro unitate Dei demonstrandâ possunt in tres classes redigi. *Prima* desumitur ex attributis, perfectione, summitate & infinitate Dei. Quod enim singularissimè perfectum, summum & infinitum est, non potest esse nisi unicum. Nam, si darentur duo singularissimè perfecta, summa & infinita, aut statuenda inter ipsos differentia aliqua, aut ταυτότης. Si differentia: ut quod unus altero sit perfectior, nõ erit summa perfectio, & unum perimeret alterum. Si identitas, E. potius sunt unum, quàm multi. *Secunda* constituitur à relatio-

latione Dei ad creaturas: Quicunq; simpliciter & à seipso est, & reliqua omnia habet à se dependentia, is maximè unus est, nec habet aliquem socium: qui enim sub se alios omnes habet, ille ab iis distinctus & maximè unus est. *Tertia* petitur ex loco absurdorum: Si multi essent Dii, necessariò essent circumscripti & finiti, ac in quibusdam convenirent, in quibusdam differrent: Sed consequens est absurdum; ergò & antecedens. Ratio consequentiæ in Majore est, quia, qui non differunt, non possunt esse plures, &, qui multi sunt, illi certo numero circumscribuntur ac finiuntur. Primi consequentis absurditas patet, quia, si Deus esset finitus ac circumscriptus, non esset à seipso, sed ab alio; non poneret finem, s. terminum aliis, sed finiretur & limitaretur ab aliis, quod est contrà simplicissimam ejus naturam. Secundi consequentis absurditas manifesta est, quia Deus ita esset imperfectus, & aliqua perfectio alicui Deorum illorum plurium deesset. Atq; huc spectat, quod Deus talis esse debet, ut super omnia diligi debeat, at non potest diligi super omnia, nisi unus tantùm sit. Nam si sint duo, vel ambo æq; diligendi sunt, & neuter super omnia, vel non æquè diliguntur, & sic solus ille Deus erit, qui est super omnia diligendus. Ideoq; Scriba ille, qui cum Christo loquebatur *Marc. XII.* ad confiten-

dum primum præceptum, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, recte præmisit, non esse, nisi unum Deum. *Dices*: Ubi sunt ἐνέργειαι diversæ, ibi diversæ sunt essentiæ, juxta illud Damasceni: ἐνέργεια δὲ ἡ φύσεως δύναμις. In Deo autem sunt diversæ ἐνέργειαι E. &c. *Resp.* 1. Dictum hoc Damascenus non eo fini affert, ut probet diversas esse naturas in divina essentia, sed adhibet in loco de Pers. Christi, ub dicit, operationes diversas esse duarum in Christo naturarum characteristicas. 2. Ubi sunt realiter ac essentialiter diversæ operationes, ibi sunt diversæ essentiæ. Sic limitata *Maj.* negatur *Minor:* Operationes Dei ad intrà sunt personales, adeoq; inferunt discrimen, non essentiale, sed saltem personale. Operationes ad extra sunt essentiales, eæq; duplices; vel internæ, s. immanentes in Dei essentia, v. g. decretum de redemptione generis humani: vel externæ, quæ non sunt in, sed à Deo. Quoad posteriores major falsa est. Nam etiam finita creatura potest diversas actiones proferre, non tamen habet diversam essentiam, sicut videmus Solem liquefacientem & indurantem, non quasi hæc potentia in Sole sit diversa ratione ipsius solis, sed ratione subjecti & effectus. Quoad priores s. internas, illæ considerantur vel ratione ipsius Dei, vel ratione

tione creaturarum, ad quas habent respectum, unde etiam dicuntur actiones ad extrà. Priori modo sunt ipsa Dei essentia, non enim considerantur ratione Dei positivè, ut accidentia in suo subjecto, sed negativè tantùm dicuntur esse in Deo, prout non terminantur in externum objectum. Undè etiam actiones illæ DEI internæ cum agente essentia divina non faciunt compositionem, sed sunt ipsa essentia divina agens. Eædem autem actiones Dei internæ, posteriore modo consideratæ, prout spectant creaturas, & ad eas terminantur, distinctæ sunt, distinctione rationis, non reali, quæ distinctio sumitur non ex natura actionum realium internarum, sed ex respectu earum ad objecta externa, tanquàm ex occasione rei.

§. 28. Quia Deus ità unus est, ut prorsus sit indivisibilis, etiam simplicissimus est, & nullo modo compositus. *Simplicitatem* autem hic intelligimus, non *comparativam*, quæ aliquam tantùm excludit compositionem, qualis etiam est in elementis, imò etiam in Angelis & animabus separatis à corpore: sed *absolutam*, quæ nullam omninò admittit compositionem, & summus gradus est unitatis singularis.

§. 29. Probatur SIMPLICITAS Dei 1. *affirmativè*, quia, quicquid Deus est, per suam essentiam est, & quidem singulariſſimè unam: 2. *negativè*,

gative, per remotionē omnium modorum compositionis. Non enim componitur (1) *ex ente & essentia*, sed ita est ens, ut sit ipsa essentia individua *Exod. III.* ita habet vitam, *Joh. V, 26.* ut sit ipsa vita *Joh. XIV, 6.* ita est in luce *1. Joh. I, 7.* ut sit ipsa lux *vers. 5.* (2) *ex partibus s. physicis*, iisq; aut *essentialibus*, materia & forma; aut *integralibus*, quia Deus est Spiritus *Ioh. IV, 24, II Cor. III, 17.* s. *metaphysicis*, h. e. potentia & actu. Est enim actus purissimus, docente Scaligero *Exerc LXVI.* (3) *ex partibus subjectivis*, s. genere & differentia, quia ita haberet Deus aliquid se prius, &, sic non esset infinitus. Insuper genus natura quædam est potentialis, differentia actualis. At in Deo non datur potentia, quæ actuetur, quia hæc passiva est & imperfectum aliquid. Quamvis autem essentia divina prædicatur de Patre, Filio & Sp. Sancto, non tamen ea personis divinis per genericam rationem est communis, quia non communicatur illis κατὰ μέθεξιν, ut multis singularibus sub se contentis, sed κατὰ ϖᾶν χώρησιν essentialem. Unde Augustinus *l. VII. de Trin. cap. 6.* inquit: *Essentia divina prædicatur de Patre, Filio & Sp. S. non ut genus de speciebus, nec ut species de individuis, nec ut totum de partibus, sed alio quodam ineffabili & incomparabili modo.* (4) *ex forma & formato*, s. ex natura & supposito, quia Deus sibimet ipsi forma est, per se existens, seq; ipsam individuans. (5) *ex subjecto & adjunctis*, s. ex es-

sentia & accidente. Quicquid enim in Deo est, id Deus est; nec Deus, tanquam ens perfectissimum, indiget accidente substantiæ superaddito, quo perfectio magis magisq; crescat & augeatur: imò, nec est capax alicujus accidentis; accidens enim habet rationem actus: Deus autem non habet potentiam passivam, quæ actum illum recipiat, aut, ut actuetur indigeat. Optimè Bernhardus *Serm. LXXX. in Cantica: Sola summa & increata natura hanc sibi vendicat meram singularemq; suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud & aliud, non alibi quoq; & alibi, sed ne modò quidem & modò inveniatur in ea. Nempe, in semet manens, quod habet est, & quod est, semper & uno modo est. In ea & multa in unum, & diversa in idem redigun-tur, ut nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat.* Dices 1. Personæ divinæ constant ex substantia & accidente, sc. natura & relatione. 2. Deus jurat per animam suam, habet Spiritum & vitam in sese E. est aliud atq; aliud in Deo, nempè, subjectum & accidens, agens & actio, causa & effectus 3. Deus actu colitur & invocatur, qui antèà tantùm coli poterat, E. in Deo est accidens. *Resp.* ad 1. (α) Disting. inter relationem prædicamentalem & transcendentalem. Illa accidens est; hæc modus. Modus autem non est accidens, quia est affectio entis: accidens non est affectio,

sed species entis. Respectus objecti ad subjectum est relatio, sc. transcendens, non tamen est accidens (β) Essentia & relatio differunt, ut subjectum & accidens in rebus creatis, minime v. in DEO, quia tota essentia divina numerica est in Patre, tota in Filio, tota in Sp. Sancto, licet diverso inessendi modo, in Patre ἀγεννήτως; in Filio, γεννητῶς; in Spiritu S. ἐκπορευτῶς (γ) Persona concretè spectata non constat tantùm ex essentia & relatione, sed etiam ex modo existentiæ, h. e. ex actu hypostatico. Qui dicunt essentiam divinam relatè spectatam esse personam, cum grano salis intelligendi sunt. Si enim hoc absolute statueretur, non possemus accuratè respondere adversariis communicationem hypostάσεως, in loco de Pers. Christi, impugnantibus. Humana enim natura assumpta est in essentiam, non autem in relationem. Ergò actus hypostaticus distinctus est ab essentia & relatione, s. proprietate personali. Actus autem hypostaticus est distincta subsistentia personæ unius ab altera. Ad 2. in Deo idem est, qui jurat, & per quod jurat *Gen. XXII, 16.* & est ipsa vita *Ioh. XI, 25.* Ad 3. Est denominatio externa, quæ in re, quam denominat, nihil ponit.

§. 30. Ideoq; *Deus non est Totum quoddam, nisi Totum singulariter perfectionale.* Quia Deus est unum indivisibile, nec ullas habet partes, ideò

neq

nec totum erit, vel universale καθόλου, vel coordinatum, σύνολον, idq; vel essentiale, vel integrale, vel potestativum. Quia tamen quædam totalitas essentiæ divinæ in sacris tribuitur, *Col. II, 9.* ideò ambiguitate vocabuli TOTUS explicatâ dicendum est, Scripturam accipiendam esse de toto perfectionis, & quidem tali, quod non limitatam, sed omnimodam perfectionem in se continet. Ita Patres sæpius Deum vocant totum, ut Augustinus *contr. Felicianum de unit. Trin. c. 16.* ait: *Non dimisit Patrem Christus, cum venit in virginem, ubiq; totus, ubiq; perfectus, uno eodeq; tempore totus erat in inferno, & totus in cœlo.* Sic Scaliger *exerc. ult. Deus*, inquit, *extrà omnia omnis, sine partibus totus, antè omnia, post omnia totus ipse.* Quomodo autem totum in masculino genere à toto neutraliter sumto in doctrina de Pers. Christi distinguatur, docet Damascenus *l. III. de O. F. cap. 7.* Ubi Autor distinguit inter τὸ ὅλον, & ὁ ὅλος, sic, ut illud sit naturæ παραστατικὸν, repræsentativum; hoc autem ὑποστάσεως personæ, quemadmodum & τὸ ἄλλο naturam; ἄλλος personam notat: ut sensus sit, Christum ratione personæ rectè vocari totum Deum, non autem respectu naturarum: quarum altera saltem est divina, altera humana, neutra Deus dici potest. Quando autem Lombardus *l. III. dist. 22. Christus*, ait, *ubiq; totus est, sed non totum*: non existiman-

istimādus est, præsentiam totius Christi, ipsiusq; carnis in persona τοῦ λόγου negasse: verùm ostendisse saltèm, quæ sint naturales proprietates carnis, scil. circumscribi, & non simul coextendi cum divinitate.

CAPUT III.
De
Veritate DEI.

§. 31. *Veritas essentiæ divinæ est conformitas Deitatis cum intellectu divino.* Sensus est: Veritas Dei in essendo est, quâ revera est talis, qualis in sua essentia esse intelligitur à seipso. Dico; Veritas in essendo: veritatis enim vox est ambigua. Nam 1. est veritas *in essendo*, s. convenientia rei cum intellectu, & nihil aliud est, quàm ipsa essentia rei, prout intelligibilis est, vel actu intelligitur. 2. est veritas *in cognoscendo*, quæ est conformitas notionum in intellectu cum rebus. 3. est veritas *in sermone & scriptione*, sc. conformitas sermonis & scripturæ cum intellectu. Et hæc vel à rebus discrepat, estq; convenientia cum mente, s. conceptu intellectus tantum; vel simul est cum intellectu & rebus extrà mentem positis conveniens. Ita quoq; veritas, cum de Deo dicitur, variè sumitur. Datur Veritas Dei in essēdo, quam modò descripsimꝰ, fundatā in fide *Ier. X, 10. Joh. XVII, 3. 1. Ioh. V, 20.* Datur Veritas

Dei

Dei in cognoscendo, quâ intelligit, se esse verum Deum, & res omnes cognoscit esse tales, quales sunt: hæc veritas pertinet ad intellectum & scientiam Dei. Datur Veritas locutionis & scriptionis divinæ, quæ pertinet ad locum de patefactione Dei & scriptura sacra, eaq; veritas est perfectissima, excludens non solùm mendacium, sed etiam falsiloquium. Homo enim potest verba proferre & scribere convenientia quidem cum suo conceptu s. intellectu, quæ tamen à rebus sunt difformia. At, quæ Deus loquitur & scribit, non tantum intellectui ejus divino, sed & rebus ipsis sunt conformia *Ioh. XVII.*

§. 32. *Veritas Dei est ipsa Deitas, quatenus intelligibilis est.* Sensus est: Veritas Dei in essendo directè & in se non est aliquid præter ejus essentiam, sed tantum connotat cognitionem, quæ in natura illa vel re est fundata. Sic aurum dicitur verum per respectũ ad cognitionem & judicium de auro, quia aurum tale est, ut, si judicetur tanquàm aurum, illa cognitio sit vera & conformis objecto. Non enim possumus aliter fundamentum veritatis in natura rei positum explicare affirmativè, nisi per habitudinem ad cognitionem & judicium verum de illa re. Negativè autem Veritas fundamentaliter potest explicari, cum dicitur res esse revera talis, qualis est absq; fictione & nuda apparentia. Ideoq; etiam Veritas

Dei in essendo negative explicata est, quâ Deus reverâ est id quod est, absq; fictione & nuda Deitatis apparentia: affirmativè v. considerata est convenientia deitatis cum intellectu divino.

§. 33. Veritas Dei in essendo est quidem etiam cum ~~in~~ intellectu finito conveniētia, sed secundariè, quatenus ab intellectu humano *vel* actu intelligitur, *vel* intelligi potest essentia divina. Essentiam Dei, ut vera est, etiam ad intellectum creatum referri posse, patet indè, quia in agnitione essentiæ divinæ consistit beatitudo Angelorum & hominum. Secundariò saltem esse conformem intellectui finito, confirmat Dei infinitas & æternitas, quâ Deus verus fuit ab æterno, antequàm ullus esset Angelorum aut hominum intellectus. Ideoq; Veritas Dei in essendo est essentia Dei, quatenus à creato intellectu non quidem semper actu intelligitur, attamen est intelligibilis. Primariò autem hæc Veritas nonnisi divino intellectui est conformis: Solus enim Deus actu semper habuit & habet plenissimam de seipso cognitionem, & perfectissimum judicium. Imò essentia divina, non tàm conformitatem, quam identitatem cum intellectu divino habet, quia intelligere Dei est ipsum esse Dei.

§. 34. Veritas Dei in essendo est essentiæ divinæ cum intellectu tùm increato, tùm creato (servatis gradibus,) conformitas, non *per modum* men-

mensurabilis & mensuræ sed tantum *per modum cognoscibilis* (s cogniti) *& cognoscentis*. Deus quidem sibi ipsi est mensura, sibi ipsi conformitas est & perfectio, non tamen sui ipsius mensuratum est, ob summam perfectionem & simplicitatem: multò minus mensurari poterit deitas ab intellectu creato. Quare ad veritatis Dei in essendo, s. ad veræ deitatis descriptionem non requiritur, nisi respectus ad cognitionem, *vel* actu datam, eamq; plenissimam, qualis est Dei seipsum cognoscentis: *vel* possibilem, qualis est Angelorum & hominum, quem respectum essentia Dei connotat.

§ 35. Veritas Dei in essendo est prima & summa. Ut enim Deus est sua ipsius essentia; ita quoq; est sua ipsius veritas per suam essentiam & naturam. Creaturæ sunt veræ quidem *quoad* essentiam, non autem *per* essentiam: veræ sunt essendo, sed per participationē veritatis à summa illa & prima veritate. Ab hâc veritate Dei in essendo summa & prima, provenit etiam prima & summa Dei veritas *tùm* in cognoscendo, *tùm* in loquēdo, scribendo & agendo *Rom. III, 4. Gal. VI, 16. II. Tim II, 13. Apoc. XV, 3.*

§ 36. Deo ratione veritatis in essendo opponuntur Dii nuncupativi (1) *falsò sic dicti*, ut idola *I. Cor. VIII, 4. I. Thes. II, 9.* Hinc idola dicuntur falsi dii, non *materialiter*, quod sint falsa entia, (verum

rum enim & ens convertuntur, nec datur falsum transcendens in essendo,) sed *formaliter*, quoad idololatrarum conceptum depravatum & falsò judicantem de creaturis. Et sic fiunt, *vel objectum* falsi judicii hominum, ea creaturis tribuētium, quæ creaturis in sua natura non competunt v. g. potentiam divinam, exauditionem precum &c. *vel occasio*, quam sumit intellectus falsò concipiens abaliquo opere creaturæ similitudinē quandam *s.* in actione, *s.* in officio habentis, ut creaturam illam habeat pro Deo. Sic falsus fuit Deus Angelus, quando adoratur à patre Simsonis: & hæc falsitas non dicitur simplex, sed pravæ dispositionis. Ab antithesi eâdem veri Dei & idolorum idola dicuntur dii alienationis, s. spurii. *Genes. XLV, 2. Deut. I, 16. Ios. XXIV, 10.* alieni. *Ier. III, 13.* falsitas & vanitas, sicut ratione essentiæ divinæ oppositа ipsi DEO idola dicuntur תוהו / לא אלהים *I. Sam. XII, 21. Es. XLI, 29. c. XLIV, 8. Gal. IV, 8.* οὐδὲν *I. Cor. VIII, 4.* sc formaliter, & in genere signi relati ad rem signatā. Idolum enim quatenus idolum, est οὐδὲν, nulla res, s. non est id, pro quo agnoscitur & colitur; licet materialiter sit aliquid, ut puta, ligna, lapides, picturæ, itemq;, figura, colores & lineamenta illorum sunt aliquid. Deo deniq;, ut unus est, opposita idola dicūtur dii multi *I. Cor. VIII, 5.* אלילים, deilli seu deunculi, Götterchen/ Götzen.

Götzen. (2) *Metaphoricè sic dicti*, ut magistratus *Ps. XXCII, 6. XCV 7. Ioh. X, 35. Ebr. I, 6.* Hi dicuntur dii, non quasi *naturâ* tales sint, sed *ob similitudinem.* Et *verè* quidem dicuntur dii, quatenus opponuntur idolis, quia veram habent similitudinem cum Deo, ob vicariam potestatem agendi cum aliis; non tamen *veri* sunt dii, quia tantum θέσει, ordinatione & vocatione, non φύσει tales sunt. Hinc *Ps. LXXXII.* inquit David: *Dixi vos dii estis*, h. e. vocatione ad magistratus officium ordinavi vos, ut potestatem in alios habeatis. Quod autem naturâ non sint dii, statim subjicit, inquiens: *sed sicut homines moriemini.* Et hanc θέσιν s. ordinationem ad divinum officium indicat Christus *Ioh. X.* quando argumentatur à Minori ad majus *h. m.* à diis nuncupativis ad seipsum: Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, *h. e.* qui propter vocationem ad officium magistratûs nuncupantur Dii &c.

CAPUT IV.
DE
Bonitate DEI.

§. 37. *BOnitas Dei quoad essentiam est essentiæ Divinæ conformitas cum voluntate divina.*

Hic nota, Bonitatem aliam esse *essentialem*, aliam *relativam*, aliam *moralem. Illa* est perfectio essentiæ, sicut homo dicitur bonus, quia perfectus est.

Hoc

Hoc modo Deus potest denominari bonus ex plenitudine omnis perfectionis, & quatenus ex plenitudine ejus propensus est ad se diffundendum, & communicandum aliis, quibus bonus esse potest. *Ps. XCV, 3. Iob. XXXVI, 26.* in quibus locis non intelligitur *magnitudo quantitatis* aut molis, sed essentiæ, s. *perfectionis*. Dicitur autem Deus perfectus, non ob *aliquam*, ut nos, sed *omnimodam* & universalem perfectionem, quæ *partim* in attributis ipsi soli propriis consistit; *partim* in aliis, quæ creaturis etiam suo modo competunt. Cum enim omnes creaturæ Deum unicum perfectionis suæ fontem agnoscant, undè omnes perfectionem suam participant, & à quo omnes in sua perfectione pendent; non potest non Deus ipse præcipuè & maximè, imò infinito modo eam possidere: cum nulla sit perfectio in effectu, quæ non certo modo præexistat in causa *Dices*, corpus, animal &c. sunt perfectiones creaturarum, quæ Deo tribui nequeunt. *Resp.* 1. non sunt perfectiones simpliciter 2. certò modo possunt Deo tribui, sc. eminenter, non formaliter; Sol non est formaliter calidus, sicut ignis; est tamen eminenter calidus, quia habet virtutem calefaciendi æq; ac ignis. DEUS formaliter non est corpus; eminenter tamen habet omnem perfectionem, quam corporis natura creaturis tribuere potest. *Ista* est, quâ aliud perficitur & juvatur

vatur Scaliger *exerc. CVII. Sect. 27.* eam vocat congruentiam quandam naturæ, qualiter bona est aqua pisci. Et hæc Deo quodammodo competere potest, quia DEUS est summum bonum creaturarum omnium, licet non omnium eodem modo *Thren. III, 25.* *Hæc* est, à qua peculiariter denominantur res intellectuales bonæ, *vel actualiter*, quatenus opera bona moralia exercent; *vel habitualiter* & aptitudinaliter, quatenus dispositæ sunt, & propensæ ad illud bonum exercendum. Et sic etiam altiori & excellentiori modo Deus summè bonus, quia est summè rectus in omnibus operibus suis *Matth. V, v. ult.* Hoc loco agitur de Bonitate DEI in essendo: quia tamen bonitas voluntatis s. moralis DEO quoq; competit per essentiam, ideò hæc quodammodò connotatur.

§. 38. Bonitas Dei in essendo *primariò* est *conformitas cum voluntate divina: secundariò* v. etiam *cum voluntate creata* s. appetitu finito. Sicut Veritas Dei ad intellectum divinum primariò spectat; secundariò autem creatum intellectum quoq; respicit: ita bonitas Dei in essendo primariò refertur ad appetitum Dei, quo seipsum vult & amat; secundariò ad appetitum creaturarum, quatenus ab eo Deus amatur & appetitur, vel saltem, quatenus creatæ voluntati est appetibilis & amabilis. *Dices;* Voluntas humana

na post lapsum est mala. E. Bonitas Dei non est conformitas cum voluntate humana. *Resp.* Voluntas mala est, non *ratione essentiæ*, sed *qualitatis vitiosæ*. Nos consideramus hîc voluntatem humanam, *tùm* ut sese rectè habet ante lapsum; *tùm*, ut per Christum est renovata.

§. 39. Bonitas Dei in essendo conformis est voluntati increatæ & creatæ, non *per modum mẽsurabilis & mensuræ*, sed *per modum boni appetibilis ad appetitum* complacentiæ. *Dices*; Appetitus includit imperfectionem, ac proinde non cadit in Deum. Id enim quod appetitur, non habetur: Deo autem nihil deest, quia ille habet omne bonum in se, sic ut nullâ re ad suam ipsius essentiam indigeat. *Act. XVII, 23. Resp.* Appetitus est *vel* desiderium rei, quæ non habetur; *vel* amor in re, quæ habetur. Deus suam essentiam, quam ab æterno habuit, ut perfectissimum & maximè amabile bonum amat, eâq; ineffabili modo delectatur. Deindè respectu creaturarum bonitas Dei est conformis appetitui, quatenus vult & appetit non habere, sed dare. *Appetitus* enim, ut Thomas ex Augustino rectè distinguit, non est uniusmodi, sed alius *ad habendum*, alius *ad agendum* & communicandum. Ipse Deus in se est perfectissimus, & alia omnia perficere potest: atq; etiam, quatenus bonus est, naturaliter propendet ad communicandam bonitatem suam creatu-

creaturis. Non tamen eget bonorum nostrorum; ideoq; prior appetitus, qui est ad habendum, non cadit in Deum.

§. 40. DEUS est primum & summum Bonum, *tùm*, quia essentia ejus est perfectissima; *tùm*, quia ab ipso omnis creaturarum bonitas est. Hinc *Gen. I, v. ult. Vidit Deus quæ fecerat, & omnia erant valdè bona.* Ubi Visio significat approbationem Dei, & appetitum amoris, quo delectatur creaturis, secundùm essentiam suam spectatis *Ps. CXV, 3. Apoc. IV, 3. Dices* 1. Deus diabolis medium emergendi ad salutem non monstravit, E. non est summè bonus 2. major est justitia Dei, quàm bonitas, quia major est numerus reproborum, quàm electorum, E. bonitas non est summa. *Resp.* ad 1. Deus non tantum summè bonus, sed etiam summè justus est. Quos ergò vult, hos punit, prout meruerunt. Jam diaboli proprio motu peccârunt, nullo seducente: ergò meruerunt rigorem justitiæ divinæ. Ubi ad summus rigor justitiæ, ibi non potest locum habere bonitas, nisi ratione essentiæ: Atq; hinc DEUS eum, quem maxime punit, etiam diabolum, diligit ratione essentiæ, quam conservat. Breviter: Qui summe justus est, non est summe bonus α circà idem objectum eodem modo ac respectu (alius autem est respectus essentiæ, alius vitiosæ qualitatis,) consideratum, β non interveniente mediatore γ quoad exercitium (interim propensio

manet summa) Ad 2. Justitia major est ratione objectorum, non ex decreto antecedente, sed consequente. Bonitas Dei est summa: exercitium ejus est universale, quoad voluntatem antecedentem & intentionem Dei seriam; quoad voluntatem consequentem fit particulare, quia hæc consequitur hominum pœnitentiam vel impœnitentiam. Deus amat & se & creaturas: magis tamen se, quàm creaturas, quia se ex necessitate naturæ, creaturas liberè amat. Hinc cum peccat creatura, eam punit, quia justitia, quæ est ipsa ejus essentia, ac proindè necessariò ab ipso amatur, non permittit, ut non odio habeat & puniat peccatum.

§. 41. DEUS & quoad essentiam, & quoad voluntatem suam *singularissimè* bonus est. *Singularitas* illa consistit in peculiari *modo* habendi bonitatem, qui est 1. *essentialis*. DEUS enim per essentiam bonus est, *tum*, quoad naturæ suæ perfectionem, *tùm*, quoad voluntatis sanctitatem. Sunt quidem etiam creaturæ in essendo bonæ; Undè quidam Metaphysici dicunt, etiam res creatas esse per essentiam bonas. Verùm ad ambiguitatem vitandam rectius dicitur creaturas esse *quoad* essentiam bonas, non *per* essentiam. Illud notat objectum bonitatis, quod est essentia creaturarum; hoc modum habendi bonitatem, sc. vi essentiæ & essentialiter. Deus solus

& quo-

& quoad, & per essentiam bonus est, quatenus essentia ejus integrè bona est, nec habet opus, ut perficiatur ab alio: creaturarum essentia bona est secundum quid, *tùm*, quia perfectionem quãdam accipit ab accidentibus, quibus ipsum earum esse perficitur; *tùm*, quia moralis bonitas creaturarum est accidens, nec ipsis per essentiam competit 2. *independens*: Deus enim *originaliter* bonus est; creaturæ saltèm *per participationem*, à Deo. *Dices*: Etiam Filius & Spir. Sanctus participativè tantùm boni sunt. *Resp.* Quicquid bonitatem suam accipit ab alio essentialiter ab ipso distincto, & bonitatem nanciscitur longè illius bonitate inferiorem, à quo eam accipit, id est bonum per participationem; sicut vides in creaturis. Filius autem à Patre, qui identificatur cum ipso essentialiter, eandem bonitatem, quam Pater habet, accipit, & Spiritus S. à Patre & Filio. 3. *Immutabilis*, quia perfectio Dei essentialis non potest alterari vel desinere, ut in creaturis: similiter, nec vicissitudinem aliquam subire potest moralis Dei bonitas. *Jac. I, 17.* Breviter: Deus ita bonus est, ut sit ipsa bonitas. Hoc exprimit Athanasius *lib. de Trinit.* inquiens: θεὸς οὐ κατὰ μετοχὴν ἀγαθότητος ἀγαθὸς, ἀλλ' αὐτὸς ἐστὶν ἀγαθότης φύσει ὢν ἀγαθὸς. Et hanc singularitatem bonitatis divinæ confirmat Salvator *Matth. XIX, 17. Luc. XVIII, 9.* ubi sic

vult Christus Pharisæum illum redarguens concludere. Quem non credis esse verum Deum, hunc non potes vocare singulariter bonum, sc. singularitate bonitatis essentialis & moralis. Atqui Me non credis &c. E. &c. Nam de utraq; conjunctim recte explicant ex Athanasio, Chrysostomo, & Augustino Scholastici.

§. 42. DEUS est Bonum maximè *communicativum*. (non *actu*, sed *potentiâ*,) *Communicatio* autem bonitatis in Deo est vel *necessaria*, vel *libera*. Prior locum habet in actionibus personalibus, sicut Deus Pater Filio totam essentiam gignendo communicat *Joh. V, 26. c. XVII, 26.* & Pater ac Filius eandem numero essentiam spirãdo communicant Spiritui Sancto *Joh. XVI, 14.* Posterior respicit creaturas, quibus Deus sese communicat liberè, vel per creationem, conservationem, concursum & præsentiam universalem *Act. XIV, 17.* vel per gratiam *I. Joh III, 1.* vel per gloriam *I. Pet. V, 10. Rom. VIII, 30.* vel per incarnationem filii *Joh. III, 16.* Accurate autem hic notetur discrimen communicationis liberæ & necessariæ. Nam Filius & Spiritus S. ita communicatam habent, *ille* quidem à Patre; *hic* à Patre & Filio essentiam divinam & bonitatem essentialem, ut secundum naturam nec Filius à Patre, nec Spiritus S. à Patre & Filio, sit aliud quippiam, sed hi tres unum sint essentiâ: Creaturis autem Bonitas essen-

essentialis sic communicatur à Deo, ut essentia & bonitas earum sit alia, & longè inferior divinâ. Deindè quoq; exactè notetur discrimen communicationis liberæ, quâ bonum infinitum & finitum sese diffundunt. *Hoc* communicat se per sui divisionem, quia totum est non in uno, sed in pluribus per partes s. subjectivas, s. essentiales, s. integrales: ergò communicat se per numeralem sui multiplicationem. *Illud* communicat se sine sui multiplicatione, estq; & manet singulare. Bonum finitum communicat se per effusionem, ita, ut tandem penitus exhauriri possit: at infinitum se communicat sine deficientia, manens in sua essentia, & efficiens in creaturis divinam bonitatem participantibus tantum similitudinem sui.

§. 43 DEUS est bonum *fruibile*. Augustinus *l. I. de doctr. Christ. c. 3. & seqq.* distinguit inter bonum *fruibile* & *utile*. Ut enim frui est alicui rei inhærere propter seipsam; sic, uti re aliquâ, est eam referre ad id, quod amamus. Bonum fruibile creaturarum est Deus, cui propter semetipsum inhærere amore suo debet creatura intelligens: mundo autem & aliis rebus non fruimur, sed utimur, earumq; usum referimus ad Deum, ceu ultimum finem. Nos Deo fruimur, ejusq; fruitione beati sumus; Deus autem nobis non fruitur, sed utitur.

§ 44. DEUS est bonum simpliciter *amabile*, & ultimò *delectabile*. Appetibilitas enim formaliter considerata est propria affectio bonitatis in essendo: jam Dei bonitas in essendo & volendo est summa, ideoq; maximè amabilis. Undè Philosophis, præsertim Platonicis, dictus est αὐτοκαλὸν, πᾶν τὸ καλὸν, πρῶτον φίλον, αὐτόφιλον. Similiter Deus est bonum ultimò delectabile, quia delectat bonitate finaliter, & fine destinatione ad aliud ulterius bonũ *Ps. LXXIII, 25.*

§. 45. DEUS est Bonum maximè *honorabile*. Aristoteles *l. 1. Nicom.* bona dividit in τίμια & ἐπαίνετα. Ac illa quidem bona, quæ Augustinus utilia vocavit, quæ ceu media ad ultimum finem diriguntur, dicit esse laudabilia: Summa autem bona, ut sunt beatitudo & Deus, esse honorabilia. Quia verò non tantùm reliqua bona, sed ipsa etiam beatitudo à Deo dependet & datur, ideò DEUS est maximè honorabile bonum.

CAPUT V.
DE
Infinitate DEI.

§ 46. HActenus de positivis essentiæ divinæ modis dictum est, sequuntur nunc modi negativi, quos inter primus est INFINITAS; Ubi notandum, quod infinitum dicatur aliquid gemi-

gemino modo, tùm *privativè*, tùm *negativè*. Privativè infinitum dicitur, quod cùm aptum natum sit, ut finiatur, terminetur & limitetur, privatur tamen actuali finitione, terminatione & limitatione v.g. si Sol juxtà longitudinem, vel latitudinem, vel profunditatem in infinitum extenderetur. Negativè infinitum dicitur, quod non habet finem, nec eum habere potest. Privativa infinitas in Deo non habet locum, quia privationem, adeoq; imperfectionem importat: Sed quia ex naturæ lumine potius intelligimus, quid Deus non sit, quàm quid sit, terminis res nostras de Deo negantibus, uti cogimur: hi a. non privationē, sed negationem significant. Particula ergò IN non significat privationem, sed negationē, quâ non tantùm ipse actus finitudinis passivæ, sed etiam potentia removetur à Deo.

§. 47 Sunt autem varii fines s. termini quos infinitas Dei negat, ut sunt (1) termini *quantitatis* (2) *essentiæ* (3) *temporis* & *ævi* (4) *loci* & *ubietatis* (5) *virtutis*, *potentiæ* & *operationis* (6) *cognitionis* sensualis & intellectualis; quorum omnium respectu negantur fines dari in Deo. Infinitudo excludens quantitatem non cadit in Deum, *tùm* quia ille non est quantus, *tùm*, quia infinitudo quantitatis, quæ in Physicis nominatur, non nisi potentiâ dari statuitur. Reliqui autem infinitatis gradus Deo quidem soli competunt, nem-

pè, *infinitudo* essentiæ & perfectionis; infinitudo excludens ubicationis, quæ dicitur *immensitas*; & negans durationis terminos, quæ nominatur *æternitas*; vel excludens potentiæ atq; operationis fines, quæ est *omnipotentia*; & deniq; removens terminos cognitionis creatæ, quæ dicitur *incomprehensibilitas*. De Infinitate virtutis & operationis divinæ dicetur inferius, quia illa est modus vitæ Dei ab essentia præcisè consideratâ distinctæ: nam operari posse fluit ex vitâ. De infinitate autem essentiæ, æternitate, immensitate, incomprehensibilitate nunc ordine agendum est.

§. 48. *Infinitudo essentiæ* divinæ est modus, quo Deus est extrà finiri ab alio, s. quo omnis limitationis, omniumq; terminorum essentiæ expers est. Termini limitantes essentiam sunt causæ, per quas res *vel* producitur, *vel* constituitur, & iterum *vel* mutatur, *vel* desinit. Nam *causa efficiens* vel efficit rem, vel corrumpit: ad *finem* autem destinata est vel productio, vel mutatio: *materia* continet potentiam ad esse vel non-esse, ad incrementum vel decrementum: *forma* deniq; determinat materiam ad certam speciem & accidentia, quæ sunt in materia, & finit rei productionem. Undè à Philosopho *l. III. & IV. Phys. & l. I. de gener.* peculiariter dicitur ὅρος. Nullis hisce terminis circumscribitur essentia divina; undè

undè infinitudo ejus essentialis etiam appellatur ἀπερίγραφις, *incircumscriptio* essentialis. Nam omnis creatura est certis naturæ circumscripta limitibus: solus autem DEUS est incircumscriptus & interminabilis.

§. 49. Infinitudo essentiæ divinæ duplex est: *independentia* & *immutabilitas*: *Illa* in Scriptura dicitur *primitas*; hæc *postremitas* sc. essentialis. *Es. XLI, 4. XLIV, 6. XLVIII, 12.* ubi Deus dicitur primus & novissimus. Primus in essendo, quia non habet causale principium essendi, sed antè omnes creaturas ἀυτάυθες extitit: novissimus, quia non habet pausam essendi, sed, si omnia alia principiata interirent, sicut per omnipotentiam Dei, si vellet, in nihilum redigi possunt, ipse solus superstes est, & servat suam essentiam nulli mutationi obnoxiam. Probè autem hic notandum est discrimen in Deo primitatis & postremitatis essentialis ac personalis, quod quadruplex est. Differunt (α) *relatione ad diversa objecta*. Nam personalis primitas competit soli Deo patri, & refertur ad filium, ut secundam; & ad Spiritum S. ut tertiam Deitatis personam: Primitas essentialis refertur ad creaturas, DEO longè posteriores, quippè ab ipso in tempore productas. Et juxtà hanc primitatem ac postremitatem, non solus Pater, sed cum Patre Filius & Spiritus S. sunt Deus primus & novissimus,

quia sunt unum essentia, quod ex *Es. XLIII, 10.* Ambrosius *l. XI. de fid. c. 5.* & ex Ambrosio Lombardus *l. I. dist. 9* pulcre explicant. (β) *appellatione & modo.* Primitas essentialis est primitas naturæ, quâ Deus prior est, non seipso, sed creaturis, non tantùm naturali essendi ordine, sed & duratione, sic, ut sine creaturis & potuerit esse, & fuerit: ipsæ verò creaturæ, tunc quando eas Deus vult existere, non possunt esse sine DEO. Postremitas essentialis est, quâ Deus non potest non superstes esse, etiamsi creaturæ omnes intereant, sicut omnes vel actu, vel potentiâ interitui sunt obnoxiæ. Personalis autem primitas est primitas ordinis & enumerationis personarum Trinitatis, secundum quam enumerationē prima persona est Pater, media Filius, postrema Spiritus S. *Matth. XXVIII, 19. I. Ioh. V, 7.* (γ) *descriptione.* Primitas essentialis Dei est, quâ Deus (1) omnibus creaturis (2) effectivè ab ipso essentiam (3) numero aliam habentibus, prior est (4) ut causa. Primitas personalis est, quâ Deus Pater ratione ordinis & enumerationis personalis prior est filio, & cum filio Spiritu S. Quamvis enim Pater generet filium, non tamen alium gignit Deum, sed aliam personam, eandem numero essentiam divinam ei communicans. Proindè hic personalis ordo non tollit ὁμοουσίαν, ὁμοιμίαν & συναϊδίαν filii & spiritus cum patre,

tre, nec importat ullam ἐξοχὴν aut ὑπεροχὴν, excellentiam aut prærogativam deitatis in patre. Et, quamvis nonnulli Patrum antè orta certamina Anti-Trinitariorum, inprimis Arrii & Macedonii, dixerint, Deum Patrem esse majorem filio & Spiritu Sancto, tamen post ortas illas hæreses Orthodoxa Antiquitas securioribus illis & incautis phrasibus abstinuit, ne de æqualitate filii & Spiritus S. cum Patre detrahendi occasionem indè arriperent rudiores. Hinc Athanasius in Symbolo: *In hâc Deitate nihil prius aut posterius* (quoad essentiales proprietates,) *nihil majus, aut minus, sed tota* (in Gr. σῶσα salvæ vel integræ) *tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Quare non possumus probare phrases Bellarmini *l. II. de Mediator. c. 10.* Deus Pater majoritatem habet. Calvini *l. I. Inst. c. 13. sect. 23.* Zanchii *l. I. de Trib. Eloh.* Sohnii *Tom. II. exeg. A.C.* Polani *l. III. Syntagm. Theol. c. 4.* dicentium, Deum Patrem esse κατ' ἐξοχὴν Deum. Petri Rami *l. I. Theol. Inst. c. 4* statuentis, Deum patrem præcipuè omnipotentem esse. (δ) *ordine enumerationis personarum divinarum.* Essentialis ordo est arbitrarius; personalis necessarius. Personalis enim enumeratio prorsus non debet immutari, ità, ut, si personæ ratione proprietatum ad intrà spectatæ numerentur, filius patri, aut Spiritus S. filio anteponi non possit. Nam hæc personalis enumera-

meratio fundatur in characteristicis personarum deitatis proprietatibus, dum pater à nullo est, sed à se habet essentiam divinam; filius à patre per nativitatem æternam; Siritus S. à patre & filio per æternam processionem. Cum autem primitas & postremitas essentialis spectatur, tùm indifferens est personarum deitatis enumeratio, nec semper pater primo loco nominatur, sed sepe filius anteponitur, ut significetur hoc ordine arbitrario, quod filius sit æq; primus & novissimus in collatione ad creaturas, atq; pater. Exempla hujus arbitrarii ordinis ac enumerationis sunt *I. Cor. XV, 9. Gal. I, 3. II. Thess. II, 16.* (in quem locum egregiè Chrysostomus scribit, contrà eos, qui ex primitate personali patris volebant æqualitatem & ὁμοουσίαν filii cum patre impugnare. *Ubi nunc sunt*, inquit, *qui filium imminuunt, propterea, quod in gratia lavacri* (in baptismo,) *post patrem nominatur? eccè contrarium hîc*) Licet autem enumeratio personarum Trinitatis quoad primitatem & postremitatem essentialem sit arbitraria, habet tamen etiam ipsa causas gravissimas, propter quas filius quandoq; anteponitur patri. Habetur hîc ratio officii Christi Prophetici, *Joh. I, 18. XIV, 9.* Habetur quoq; ratio officii Sacerdotalis & mediatorii, quia per filium datur accessus ad patrem *Eph. II, 18.* Utriusq; autem apotelesmatis efficacia fundatur

datur in Christi, quâ DEUS est, æqualitate, imò identitate cum patre. *Ioh. X, 30. XIV, 11.* Nisi enim Christus esset verus DEUS, nunquàm potuisset has officii partes exsequi.

§. 50. *Independentia* essentiæ divinæ est, quâ Deus non habet causale principium essendi, sed est ἀναίτιος, vel increatus, h. e. & antè omnes creaturas, quas liberrimâ voluntate produxit, extitit, & adhuc existit per essentiam ac vi essentiæ suæ divinæ. Hinc dicitur *Ens à seipso*, non per positivum influxum, sed negativè, propter independentiam ab alio. Si enim Deus est ens dependens à causis, tunc *vel* habebit causam efficientem; *vel* finalem; *vel* materialem; *vel* formalem. *Non efficientem; tùm*, quia est ἀρχὴ & primus, adeoq; neminem ante se habet: *tùm*, quia illud efficiens *vel* erit creatum, *vel* increatum. *Si illud*; non erit efficiens, sed effectus Dei. *Si hoc*; habemus, quod intendimus. *tum*, quia omnes creaturæ sunt ipsius opera *Rom. I, 20.* Ergò non potuerunt Deum efficere. Propterea Christus ratione Deitatis dicitur ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ principium opificii Dei, non passivum, ut Theomachi volunt, qs. Christus sit prima creaturarum Dei: sed activum, s. causale, per quod Pater omnia fecit. *Non finalem*; quia ipse Deus est finis omnium rerum ultimatus,

adeoq;

adeoq; non potest ab ullâ alia re ceu fine dependere, vel ad ullam earū ceu finē destinari, sed ad gloriam Dei omnia referri debent. *Prov. XVI, 4. Rom. XI, 35.* *Non materialem*; Nam Deus non habet materiam, *vel* sensibilem, s. physicam, *vel* intelligibilem, s. Metaphysicam, h. e. potentiam ad non-esse, quia est actus purissimus, qui nihil omninò admixtum habet potentiæ, secundum quam est possibilis & adhuc latet in causæ incunabulis: vel, cum est, aliquando tamen rursus non esse & desinere potest. *Nec formalem*; Neq; enim essentia Dei est forma talis, s. physica, s. metaphysica, ut limitetur ad capacitatem alicujus materiæ, quæ ipsam recipiat: verùm essentia Dei intrà semetipsam terminatur, in quantum est id quod est, & non est aliud *Es. XLVI, 5. Dices*; E. Filius non est infinitus, quia non est à seipso, sed à patre, tanquam principio. *Resp.* non est à patre, tanquam principio causali & durationis. Pater â Latina ecclesia dicitur principium filii, non proprie, quia nec naturâ, nec tempore prior est; nam Pater, Filius & Spiritus S. simul sunt, simultate durationis & essentiæ; eandemq; naturam habent: modus tamen habendi naturam divinam est distinctus, quia Pater eam habet à seipso, Filius à Patre, Spiritus S. à patre & filio, & propter hanc diversam rationem habendi deitatem pater dicitur principium

filii

filii, non tamen filius dicitur principiatum, sed principium de principio, lumen de lumine. Quare cum mica salis hîc est accipienda vox principii, non in proprio significatu, de eo principio, quod prius est naturâ & duratione, sed tantum de personali communicatione Deitatis naturâ & duratione æqualis. Multò magis autem pro catachrestică locutione habenda est illa formula, quâ Patres Græci DEUM vocant ἄιτιον, causam filii.

§. 51 *Immutabilitas* essentiæ divinæ est modus, quo Deus servat suum esse citrà ullam potentiam non-essendi, *aut* conversionis in aliam essentiam, *aut* incrementi vel decrementi, *aut* alterationis & motus. Probatur hæc immutabilitas I. ex fide *Exod. III, 7. Ps. CII, 27. Iac. I, 17. Ebr. IV, 13.* Si Deus est immutabilis in volendo, utiq; etiam in essendo. Nam immutabilitas in voluntate & operatione præsupponit immutabilitatem in essentia, *Es. XL, 28* Atqui prius verum est *Mal. III, 6.* E. & posterius. II. ex naturâ. Si Deus mutatur, vel mutatur perfectiva aliqua mutatione, ut acquirat perfectionem; vel amissivâ perfectionis. Atqui neutrum verum est, quia utrumq; præsupponit imperfectionem. *Deinde*; Si Deus mutatur, s. in pejus, s. in melius, *vel* mutatur à seipso, *vel* ab alio. *Non illud*; quia fieret *vel* per principia naturalia, *vel* per violętiam. *Non prius*, quia

quia Deus est purissimus actus: purum autem definiente Scaligero *exerc. CCL* est, quod nihil habet alienum. *Non posterius*, quia sic poneretur in Deo motuum ἀταξία & inordinatio. Voluntas Dei maximè ordinata est, & semper fertur in bonum: essentia autem Dei summè bona est. *Nec hoc*; quia Deo nemo est superior, nemo potentior. *Dices* 1. DEUS per creationem cepit esse causa in actu, & creator actu; cùm antea non fuisset 2. per incarnationem cepit esse homo. E. est mutatus. *Resp.* ad I. (2) omnis mutatio supponit aliquam potentiam passivam in subjecto, quod mutatur; Deus autem omnis potentiæ passivæ expers est (2) omnis mutatio vera est via ad aliquod esse, vel ab aliquo esse entitativè. Deus autem quatenus causa nullam entitatem acquisivit ex eo, quod cepit esse actu causa rerum, quas condidit. Nam causarum concursus ad sua effecta non addunt entitatem ullam rebus iis, quæ sunt causæ, sed puros quosdam omnisve entitatis expertes modos se habendi ad illa: nec faciunt causam aliter atq; aliter, sed saltem ad alia sese habentem. *Inst.* a DEO, quatenus est causa prima, ex eo ipso causandi opere, si non entitas, saltem perfectio quædam accessit. *Resp.* 1. in causis secundis largimur, causalitates addere aliquam perfectionem iis rebus, quæ sunt causæ. Causæ 2. secundæ propter aliquem finem perfectio-

fectionis passivæ sunt institutæ, adeoq; perfectiorem statum habent, cum actu causant, quàm cum non causabant. Deus autem est supremus finis, summaq; perfectio, proinde actualis causalitas nullam ipsi addere potest perfectionem. 2. Disting. inter id, quod alicui accedit *quoad denominationem intrinsecam*, & quod accedit *quoad denominationem extrinsecam*. *Illud* addit perfectionem subjecto quod ab eo denominatur; *hoc* minimè. At enim denominatio Dei à creatione rerum non est intrinseca, sed extrinseca, nec propriè est in Deo, sed in creaturis: quanquam enim actio creandi *à Deo*, non tamen *in DEO* est. Mutatio ergò illa omnis ad creaturas spectat: (ipsæ enim, cùm anteà non essent, esse ceperunt,) non ad Deum, qui externè tantùm ab actione creandi denominatur. Nervosè hâc de re Augustinus *l. V. de Trin. c. ult. Quod temporaliter dici incipit Deus, quod anteà non dicebatur, manifestum est relativè dici; non tamen secundùm accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed planè secundum accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relativè. Inst.* § Obstat canon Philosophicus: *Quod transit de potentia ad actum, mutatur.* Resp. Non jam litigabimus, an Deus ante mundi creationem potuerit dici causa vel creator in potentia? quod negat Fonseca *l. VII. Met. c. VIII, qv. 4.* sed refutatur à Sthalio in *Reg. Philos. Tit. II. Reg. IV.*

§. 7. 8. 9. simpliciter dicimus, Canonem valere tantum de illis, quæ ita transeunt de potentia in actum, ut actus intrinsecus sit rei, quæ erat in potentia, eiq; tanquàm subjecto inhæreat, v g. quando ex homine indocto fit doctus, mutatur subjectum per receptionem habitus, sc. eruditionis. Deum autem esse creatorem est denominatio extrinseca, nec creatio, quæ est actus, per quem Deus dicitur creator, DEO tanquàm subjecto inest, adeoq; nec Deus, cum ex creatore potentiâ fit creator actu, mutatur. Ad II. Filius Dei naturam humanam sine ullâ sui mutatione adsumsit, ut docetur in Artic: de incarnatione.

§ 52. Ex infinitate essentiæ fluit *infinitas perfectionis* divinæ. Omnis enim essentia actualis est perfecta: At Dei essentia est ὑπερεξόχως, superexcedenter ac singulariſſimo modo, & semper actualis. E. est perfectisima. *Adde*; Vel Deus est infinitè perfectus, vel finitè. *Si illud*; res salva est. *Si hoc*; ergò est perfectibilis, *vel* à seipso, *vel* ab alio. Utrumq; est absurdum. Quinimo, quicquid est in rebus creatis perfectionis simpliciter, *tam* actualis, *quàm* possibilis, id omne in Deo est eminentisimo ac excellentisimo modo, tanquam in causante. Nominatur autem hæc perfectio in scriptura metaphoricè *magnitudo*, sc. non *extensiva*, sed *intensiva* Pſ. XCV, 3. CXLVI, 5. *Dices* 1. Deus vult & appetit res creatas

tas 2. fecit omnes res propter seipsum 3. utitur operâ creaturarum. E. non est perfectissimus *Resp.* ad I. Volûtatis inclinatio in creaturis intelligentibus est duplex, una *ad habendum*, altera *ad operandum*. Neq; enim appetitus intellectualis vult tantum habere, quod non habet, sed & vult amare & agere in id quod habet. Prior appetitus arguit imperfectionem, & competit creaturis tantùm, eâq; de causa negat Augustinus, appetitum talem, qui sit rei non-habitæ, competere Deo, quia in Deo est summa perfectio & sufficientia; appetitus autem ad agendum Deo convenit, quia est perfectissimus, & omnia potest efficere; insuper & summè bonus est, ac propterea ipsâ naturâ suâ propendet ad communicandam bonitatem suam. Quamvis autem hæc ipsa propensio ad communicandum se sit Deo naturalis, tamen istius naturalis inclinationis usum vel exercitium ad creaturas regit liberum DEI arbitrium, ut secundùm istam naturalem inclinationem elicito appetitu Deus velit ea, quibus bonitatem suam communicat, eâq; operatione intendit bonitatem suam ad alios diffundere, non v. aliquod commodum sibi acquirere. Ad 2. Deus omnia fecit propter semetipsum, non, ut *finem indigentiæ* (est n. αὐταρκέσ-τατος, sibiq; maximè sufficit, atq; infinities sufficientiam creaturarum superat,) sed *assimila-*

tionis: non ut *accepturum* aliquid à rebus creatis; sed ut sese *daturum*, & suam ipsius bonitatem communicaturum creaturis. Ad 3. (α) Deus non utitur operâ creaturarum ad universam actionem & eodem agendi genere ac modo. Nam solus creat omnia (β) adhibet Deus creaturas, ut ministras certorum apotelesmatum, non, quod non possit absq; illarum ministerio istum effectum producere, sed ad amplificandam majestatem suam (γ) Causa ministerialis alio modo agit, quàm Deus Nam causa secunda non coordinatur Deo agenti, multò minus superior est Deo, sed subordinatur: imò, si Deus non concurreret cum causæ secundæ actione ad producendum apotelesma, nec effectus ille eveniret, nec causa secunda posset actionem suam perficere v.g. in fornace Babylonica Deus non concurrit cum igne, ut potentiam urendi exsereret, ipsamq; ustilationem perageret in certa objecta: ideoq; nec tres illi viri comburuntur. Causa secunda quædam agit hysicè, & ex necessitate naturæ: DEUS autem creans & sustentans creaturam famulatricem, & cum ea concurrens agit semper liberè. Quæ autem causæ secundæ sunt liberæ, nihilominus & ratione libertatis sunt DEO subjectæ.

CAPUT

CAPUT VI.
DE
Æternitate DEI.

§. 53. VOx ÆTERNITATIS est inter τὰ πολλαχῶς λεγόμενα. Nonnunquam enim significat temporariam durationem, aliquandiu non interruptam. Perpetuitas enim generaliter, notante Scaligero *l. I. de plant.* est continuitas, cum non intermittitur aliquid. Sic circumcisio dicitur fœdus æternum *Gen. XVII, 13.* quia per continuum temporis tractum duravit, ab institutione usq; ad N. T. excepto casu necessitatis conf. *Exod XXI, 6.* Deinde æternitas vocatur duratio, quæ quidem principium habet, non autem finem: qualiter beatorum vita, & damnatorum mors est æterna. Et hæc æternitas, docendi causâ, strictè vocatur *ævum.* Quamvis enim ævum Gr. αἰὼν propriè sit æternitas, & αἰὼν dictum sit qs. ἀεὶ ὤν, teste Philosopho *l. I. de cœlo text. 100.* tamen distinctioris doctrinæ gratiâ hodiernus usus istarum vocum ex placito citeriorum Theologorum & Philosophorum à pristina impositione deviavit, ut *æviternum* dicatur, quod principium quidem habet, non a. finem: *æternum* verò sit, quod nec principium, nec finem durationis habet. Et hic tertius significatus est hujus loci.

§. 54. Æternitas est modus essentiæ divinæ, quo illa est expers durationis, quæ est juxtà initium & finem, & juxtà successionem prioris ac posterioris, præteriti ac futuri. *Vel*; Æternitas Dei est essentiæ divinæ duratio interminabilis, continua & independens. Probat æternitatem hanc divinam Fides & Natura. Fides (1) in illis Scripturæ locis, in quibus vocatur DEUS עולם *Gen. XXI, 33. Es. XL, 28.* ἀιωνιος θεὸς *Rom. XVI, 26.* βασιλεὺς τῶν αἰώνων *I. Tim I, 17.* conf. *Jer. X, 10. Dan. VI, 26.* (2) quæ æternam Deo existentiam tribuunt *Psalm. IX, 9. XXII, 9. CII, 13. CXXXV, 14. Es. LVII, 15. Dan. IV, 31. Hab I, 12.* Ut enim tempus sequitur motum, ita æternitas sequitur immutabilitatem essentiæ absolutam. (3) quæ ipsum describunt, ut effectorem hujus universi. Est enim autor seculorum, h.e. mundi & creaturarum in tempore conditarum *Ebr. I, 2.* (4) quæ æquipollentibus phrasibus æternitatem Dei describunt, ab existentia ante creaturas, & per remotionem finitæ durationis *Ps. XC, 3. Es. XLIII, 13* Qui antè omnes creaturas est, is quoq; antè illarum durationem existit: qui v. antè finitam & principium certum habentem creaturarum durationem existit, is aliâ duratione existit, sc. infinitâ, quia antè creaturas nil nisi æternitas fuit. Huc pertinent loca *II. Tim. I, 9. Tit. I, 2.* ubi πρὸ χρόνων αἰωνίων idem est, ac antè mun-

mundum tempora sua habentem (5) quæ metaphoricè describũt durationem divinam, & Deo quidem dies ac annos tribuunt, sed additâ mentione expressà diversitatis *Job. X, 5. XXXVI, 26. Ps. CII, 28.* Quare dies & anni h. l. metaphoricè significant durationem à finita rerum duratione distinctam, h. e. infinitam, juxtà quam etiam accipiendus est locus *Dan. VII, 9. & 22.* Natura hanc infinitam durationem Dei probat 1. *ab infinitudine essentiæ divinæ.* Modus existendi sequitur modum essendi, quia existentia essentiæ nihil addit præter actualitatem, adeoq; essentia & existentia non possunt separari propter identitatem, proindeq; essentia non potest esse sine propria ipsiq; proportionata existentia. Duratio autem est existentia continuata. 2. *ab absurdo:* Si Deus est finitus in duratione, ergò vel est finitus à parte antè, vel à parte post. *Si illud;* aliquando non fuisset: quæro ergò, à quo sit productus? *aut* à se, *aut* ab alio. Utrum asseras, ex Deo facies non-Deum, cotem ligneum. *Si hoc;* ergò *vel* ipse se interimet, quod infert motuum in Deo ἀταξίαν. Omne Ens enim ordinatè esse suum appetit. *Vel* ab alio interimetur, ac proindè hoc erit Deo fortius. En iterum αὐτεξούσιον!

§. 55. Æternitatis divinæ *conditiones* sunt tres. *Prima* est *interminabilitas*, quæ non tantùm ne-

gat principium & finem durationis *quoad actum*, sed & *quoad potentiam*. Scholastici quidam disputant de quâdam *æternitate participatâ*, quæ sit possibilis, si DEUS voluisset: quâ sc. quædam creatura duratione extrinsecâ potuisset esse simul cum Deo, nec tamen futura fuisset æterna, quia tantùm interminata, non interminabilis fuisset, cùm hoc ipso, quia creatura natura fuisset posterior Deo, dependisset ab eo in essendo, dependentiam autem in essendo necessariò comitatur potentia existendi in tempore: Deo autem planè repugnat habendi principium, *tàm* essentiæ, *quàm* temporis s. durationis finitæ. Hoc modo Augustinus *l. X, de C. D. c. 15.* judicat, Angelos, si maximè ab æterno fuissent creati, non tamen coæternos futuros fuisse creatori suo. Verùm Scriptura ignorat talem participatam æternitatem, & creaturis tribuit, non tantùm ratione potentiæ, verùm etiam ipsius actus certum initium, antè quod mera fuit æternitas. Quinimò, sicut inter Deum & creaturas non datur medium; sic nec inter finitam & infinitam durationem. Unde etiam existentia antè creaturas Deo soli, ceu proprietas essentialis, tribuitur *ll. cc.* quibus adde *Prov. VIII, 22.* *Secunda* est, συνέχεια s. *continuitas*, quæ negat omnem successionem præsentis, præteriti & futuri. Hoc requisitum æternitatis tradit Philosophus *l. XI. Met.*

Met. c. 4. Removetur igitur ab æternitate divina omnis successio, *tàm* positiva, *quàm* privativa. *Positiva* est in certis tantùm rebus creatis, quæ nunquam in suo esse vel aliquandiu permanent. Estq; duplex, *vel à toto ad totum*, quâ constituitur *tempus*: *vel à parte* entis una *ad partem* aliam, qualiter successivum ens propriè est *motus*. *Privativa* autem successio est inter esse & non-esse, h. e. quâ essentiam consequitur, vel consequi potest mutatio, vel annihilatio. Et hæc successio omnibus creaturis convenit, quatenus essentia illarum, quam in creatione vel generatione acceperunt, non continuatur per Dei influentiam, atq; ita non conservatur. Divina essentia neutro modo est successiva: *non priori*; quia non habet partes fluentes: *nec posteriore*; quia non dependet ab alterius conservatione, quâ continuetur permanentia essendi, eò, quod sit immutabilis. Unde scita est distinctio τοῦ νῦν, quâ aliud est *Nunc stans*, aliud, *Nunc fluens*. Æternitas DEI est unum Nunc stans. *Nunc* est; quia indivisibilis & tota simul: *stans*; quia durat omnibus temporum differentiis exclusis. Neq; enim in æternitate datur aliquid instans, (quod Boëthio dicitur Nunc fluens,) aut aliquid præteritum, aut aliquid futurũ, sed omnia præsentia sunt absq; ullâ vicissitudine. *Dices* 1. ipsa tamen æternitas concipitur tan-

quam aliquid successivum & fluens, ut cum Deum ab æterno in æternum manere apprehendimus 2. de Deo in Scriptura prædicatur successio præteriti, præsentis & futuri *Ps. CII, 28. Dan. VII, 13. Apoc. I, 8. Resp.* ad I. Fit hoc ob imperfectionem intellectus nostri, qui omnem durationem in universum ad modum durationis successivæ concipit, quia sola ista in sensus incurrit. Quod igitur ejusmodi successionem etiam in aliis durationibus imaginamur, ens & figmentum rationis est. Ad 2. Quando Dei æternitas describitur per differentias temporum, est phrasis metaphorica, in qua Spiritus Sanctus condescendens ad nostrum captum infinitam DEI durationem describit per differentias temporum, ita tamen, ut expresse indicet, eas propriè non convenire Deo. Causa harum phrasium metaphoricarum est methodus perveniendi in cognitionem æternitatis divinæ à Sp. S. his ipsis metaphoris ostensa. Quia n. tempus est εἴδωλον, simulacrum & imago æternitatis, ideò per similitudinem durationis finitæ ducit nos Spiritus S. ad considerandam æternitatem. Nam post primam apprehensionem durationis metaphoricam Spir. S. nos altius provehit, ac per proprias phrases æternitatem divinam ostendit. *Deinde*, hâc phrasi continuitas durationis divinæ delineatur per differentias temporum simul collectas.

ctas. Nam quæ res simul est in præsenti, præterito & futuro, illa habet durationem infinitam, si præsens intelligatur de Nunc stante, non fluente, & præteritum ac futurum notent durationem carentem initio & fine. *Tertia* est *totalitas* & coexistentia ad omnes temporum differentias. Hoc voluit Boethius in descriptione æternitatis, quam ponit *l. V. de consul. Phil. pr. 6.* Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Ubi nos malumus pro voce vitæ substituere vocem essentiæ præcisè sic dictæ, quia infinitas essentiæ, durationis ac ubietatis terminos excludens, est attributum non vitæ, sed essentiæ divinæ præcisè sic dictæ. Dicitur autem in definitione (*tota*,) non ratione partium, quas non habet, sed ad negationem successionis perfectissimam. Quia v. continua est, tota simul & perfecta æternitas, ideò fieri non potest aliter, quin existentibus temporis partibus simul & existat æternitas. Coexistit autem temporis differentiis, non simul sumtis, sed singulis seorsim existentibus v.g. hodie æternitas coexistit hodierno diei, heri extitit cum hesterno die, cras coexistet crastino. Quâ distinctione coexistentiæ cum temporis partib9 circà æternitatem observatâ, facile in fumum abeunt Vorstii ratiunculæ, quas adfert *lib. de Deo & attrib. Dei p. 226.*

§. 59. Licet autem successio secundum tem-

pora,

pora, prius & posterius, non detur in essentia divina, datur tamen in actionibus essentialibus externis. Actiones Dei ad intrà, s. necessariæ & personales non fiunt secundum temporis differentias, quia Pater generat filium infinitâ durationе in Hodie, h. e. in nunc stante, & non fluente *Ps. II, 7.* Non etiam partes temporum habent actiones Dei liberæ, quæ sunt quidem ad extrà, sed internæ, ut decretum creationis, redemtionis, vocationis, prædestinationis &c. Hæ enim ordine tantùm distinguuntur, non secundum tempora, prius & posterius, quia omnia decreta Dei ab æterno facta sunt. Externæ autem actiones Dei admittunt differentias temporis: prius enim Deus creat, quàm gubernat mundum: prius vocat, regenerat, & renovat homines, quàm glorificat.

§. 57. Dei æternitas est ipsa ejus Deitas semper durans, s. quatenus durationis initium & finem non habet. Duratio enim Dei est qs. durans, s. permanens essentia Dei, videatur Augustinus *in Ps. CI, v. 28.* Quæritur; *Quid Deus egerit ante jacta mundi fundamenta?* Quamvis personales actiones & decreta Dei hic urgere possemus, libet tamen hác vice τὸ ἐπέχειν. Videatur Augustinus *l. XI. Conf. c. 12. col. 190.* Balduinus *l. II, cas. consc. c. 4.*

CAPUT

CAPUT VII.

De Immensitate & Præsentia DEI.

§. 57. FLuit infinitas essentiæ divinæ, excludens terminos essendi, sequitur infinitas essentiæ divinæ ratione quantitatis, loci & ubietatis speciatim sic dictæ, cujus terminis circumscribi non potest Deitas. Circumscriptio ratione quantitatis intrinsecè competit corporibus, quæ sunt longa, lata & profunda: Deus autem est incorporeus, ideoq; hæc circumscriptio per intrinsecæ quantitatis terminos, à Deo liquidè removetur. Circumscriptio a. loci est, quando res determinatur, aut determinari potest loco, s. per locum intelligatur superficies, cum Aristotele & Peripateticis; s. spatium in superficie, ut vult Scaliger cum Stoicis. Nam hæc circumscriptio ex spatii occupatione & ambientis continentia s. determinatione fieri potest: contineri enim ab ambiente est à superficie continente determinari: occupare autem spatium, est ita commensurari dimensionibus spatii, ut dùm intrà illud est hoc corpus, non possit esse in eo aliud corpus, sed cedat, ita, ut ejus, quod spatium occupat, pars sit in certa spatii parte. Atq; hæc circumscriptio competit solis materiatis & quãtis, quæ non admittunt penetrationes dimensionum.

sionum. Circumscriptio deniq; ubietatis speciatim sic dictæ competit spiritibus, & discriminatur ab existentia in loco, corporibus, ut materialia & corruptibilia sunt, competente. Habet autem tria requisita (α) ut entia sic ubicata, h. e. per tale ubi spirituale determinata sint tota in toto spatio, & tota in qualibet ejus parte. Tota, inquam, secundum essentiam, non quantitatem, cujus entia hæc sunt expertia. (β) ut entia sic ubicata non excludant corpora ab ubi, in quo sunt, sed cum iis existere possint in eodem πῆ, adeoq; penetrare dimensiones, nec circumscribi ab ambiente muro, claustro, signaculis &c. Ratio est in aprico: nam corpus unum alterum ex eodem loco excludit non nisi per quantitatem: cùm enim dimensio dimensionem naturaliter penetrare non possit, ea quæ locum aliquem totum occupavit, dimensionem aliam simul intrare non permittit. Angeli autem nullam quantitatem, nullam dimensionem habent. Sic anima existit in corpore, etiam in iis ipsis spatiis, quæ actu occupantur à materia. Undè Augustinus *Epist. XXVIII.* scribit: *Anima per omnes partes corporis tota adest simul, nec minor in minoribus, nec major in majoribus, sed tantùm in aliis intensiùs, in aliis remissiùs operatur*, conf. Damascenum *l. I. de O. F. c. 18.* Et de Angelis inquit Bernhardus *Homil. III. in Fest. annunc. Angelis spiritibus*

parie-

parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, (sc. negativè, h. e. eos non impediunt,) *cuncta æq; corpora, quamvis solida & spissa sint, illis penetrabilia sunt ac pervia.* (γ) ut entia sic ubicata, dum sunt in hoc πῦ, non posſint esse alibi, dum sunt in cælo, non posſint esse in terra, sc. per naturam suam & propria potentiâ. Quod de Angelis probat Damascenus *l.c.* Ambrosius *l.I. de Sp. S. c. 7.* Athanasius in *epist. ad Serapionem.* Hieronymus & Cassiodorus *in Ps CXXXIX.* Didymus Alexandrinus *l.I. de Sp. S. c. 1.* Thomas *p. 1. q. 52. a. 2.* quamvis propter celeritatem transitus & agilitatem naturæ etiam Angeli videntur variis esse & operari locis: siquidem motus illorum celerior est, quàm momentanea luminis per totum mundum diffusio, aut fulguris apparitio. Hæc ubietas speciatim sic dicta est circumstantia omni enti spirituali præter Deum necessaria, monente Scaligero *exerc. VI. Sect. 2. & exerc. CCCLIX, Sect. 5.* Deo neutra de his competit, Non *illa*; quia non est corpus quantum. Non *hæc*; quia ita est in cælo, ut simul etiam posſit indistanter & per suam essentiam esse alibi. Deo g. competit ubicatio talis, quâ necessariò est intimè præsens omnibus aliis ubicationibus à se distinctis, quâq; indistanter omnia replet absq; circumscriptione. Hæc autem Ubicatio dicitur immensitas, quia sine mensura adest rebus omni-

omnibus creatis & creabilibus, si fiant, docente Philosopho acutissimo, Mendozâ *Disp. Phys. XIV. Sect. 2. §. 10.*

§. 59. *Immensitas* Dei est modus essentiæ divinæ, excludens terminos quantitatis, loci & ubietatis. Terminos quantitatis Deo non competere, jam antè dictum est, quia non est corporeus. *Dices*; Deo convenit quantitas immaterialis & insensibilis *Resp.* Non datur quantitas propriè dicta vel sine materia, vel ἀναίσθητος. *Non illud*; quia materia proxima ejus causa est. *Nec hoc*; quia quantitas unum ex sensuũ objectis est. Terminis loci Deum non circumscribi probat Fides, probat Natura. Fides quidem *II. Reg. VIII, 27. Job. XI, 8.* Natura v *tùm*, quia immensitas ex se est perfectio simpliciter: *tùm* quia DEUS est ἀπεριγράπτως ἀπερίγραφος essentiali, E. & locali. Nam modus præsentiæ sequitur modum essentiæ: *tùm*, quia, si spiritus finiti non circumscribuntur loco proprie dicto, h. e ubi physico, quod locati quantitatem importat; multò minus Spiritus infinitus. Hinc Athanasius *in orat. ad gregales: ne quæras magnitudinem loci tàm spatiosam, quæ capere possit Dei magnitudinem.* Et Augustinus *l V. de Trin. c. 1. intelligamus Deum sine situ præsentem.* Eleganter Lutherus *Tom. III. Jenens. fol. 61.* circumscriptionem loci removet à DEO his verbis: Wir sagen/ daß GOtt nicht sey ein solch aus-

ausgestreckt / lang / breit / dick / hoch / tieff Wesen sondern ein übernatürlich / unerforschlich Wesen / das zugleich in einem jeglichen Körnlein gantz und gar / und dennoch in allen / und über und ausser allen Creaturen sey / darumb darffs keines umbzäumens hie / &c. Ein Geist ist der Gottheit viel viel zu weit / und können viel hundert Gottheiten (si sc. darentur,) darinnen seyn / wiederumb auch viel zu eng / daß eine Gottheit drinnen seyn kan / nichts ist so breit / GOtt ist noch breiter / nichts ist so schmal / GOtt ist noch schmäler / &c. Terminos ubietatis speciatim sic dictæ derogat Deo Fides iis scripturæ dictis, quæ omnipræsentiam DEI adstruunt. Sic enim à signo rectè inferimus. Quicunq; est simul in cælo, terra & inferno, ille non determinatur certi πῆ designatione, ita ut dum hic est, non possit esse alibi, sed ab omni πῆ est interminabilis. Atqui Deus *Ps. CXXXIX, 7. Es. LXVI, 1.* E. &c. *Dices* 1. Scriptura loquitur de præsentia non substantiali, sed virtuali & operativa 2. non sequitur; Qui cælum & terram implet, is est infinitus, quia ipsa illa finita sunt. *Resp.* ad 1. Si maxime hoc poneretur, tamen præsentia virtualis rectè infert præsentiam substantialem. Ad 2. Scriptura asserit, ita Deum implere cælum & terram, ut cælo sit excelsior, terrâ profundior, & nec cælo, nec terrâ capi possit. Hinc Chrysostomus *Homil. III. in Epist. ad Coloss.* inquit; *Deus nusquàm est, licet sit ubiq;* & Gregorius

l. II. Moral. c 7. Deus ita manet intra omnia, ut sit extrà omnia, h.e. est in omnibus locis illocaliter, omnia complectitur, ipse à nullo circumscriptq, ut loquitur Theodoretus *serm. II. de provid.* Dices 1. Deus dicitur esse in loco, v.g. in celo, terra, vel in aliqua parte terræ, in templo 2. nonnulli Patres dixerunt, Deum esse nusquam 3. Deus in Scriptura modo dicitur adscendere, modò descendere, modò accedere, modò recedere *Gen. XI, 5. Psl. XLVII, 6. Psl. X, 1. CXLV, 18.* 4. Majestas divina non admittit, ut substantia ejus rebus terrenis & sordidis adsit 5 essentia Dei conspicitur ab Angelis & beatis à facie ad faciem E. non est immensa. *Resp.* ad 1. (α) nullum est incommodum, si dicitur Deus esse in loco denominatione extrinsecà (β) Deus dicitur esse in loco, non quod eo circumscribatur, aut in eo locetur, sed quia præsens est creaturis in loco existentibus. Distinguendæ ergò sunt hæ phrases: DEUS est præsens *in loco*; &, DEUS est præsens *localiter*. *Illa* potest intelligi tantùm de objecto, s. de re, apud quam Deus præsens est: *hæc* v. involvit modum præsentiæ. Sic Deus est in loco illocaliter, h e. ut non possit comprehendi illo loco, sicut Lombardus *l. I. sent. dist. 37. lit. O.* ait: *Deus non est in loco localiter*. Convenit Gregorius *Tom. I. in Job. c. 137. Deus*, inquit, *in omnibus locis præsens, nec localiter tenetur, nec varia curando variatur* (γ) in specie, quod Deus in celo esse dicitur, ita est in

celo,

celo, ut simul sit in terra *Es. LXVI, 1.* Interim præcipue in celo habitare dicitur, *tùm*, quod celum amplissima & nobilissima universi portio est, non tantùm ambitu suo corpora cætera omnia complectens, sed virtute fovens & conservans: *tùm*, quod in celo tàm angelis, quàm beatis majestatem suam ostendit, & singulatissimè operatur. Optimè Swaretz *l. II. de attrib. Dei c. 2. Quod interdum Deus dicitur esse in celo, nihil obstat, quia illud per quandam excellentiam, & singularem rationem dictum intelligitur. Vel, quia ibi excellentiora opera facit, & seipsum sanctius manifestat, vel, quia ibi specialiter regnat, colitur & adoratur.* Ad 2. Quod Patres dicunt, Deum *nullibi* esse, intelligunt, *vel*, nullibi esse, ut in loco adæquato, quo circumscribatur, aut definiatur: *vel*, non ita esse in rebus, ut eas requirat ad suum naturalem existendi modum, vel aliquem intrinsecum modum ab eis accipiat, sed potius res ipsas foveat & conservet, quâ ratione interdum Deum ipsum vocant locum aliarum rerum. Ad 3. sunt metaphoricæ locutiones, κατ' ἀνθρωποπάθειαν Deo attributæ, quibus descendere & propè esse dicitur, cum vel auxilium fert, vel peccata vindicat: recedere a, & abesse, cum vel auxilium suum subtrahit, vel mala fieri aliquàdiu permittit *Ps. X, 1. CXLV, 18.* Ad 4. Anne verò inquinatio rebus corporeis in- vel adhærens spiritum præsentem inqui-

nat? Ad 5. Visio beatifica non sensus, sed intellectus est *I. Cor. XIII.*

§. 60. *Immensitas* Dei distinguenda est, tùm à *potentiâ divinæ præsentiæ*, tùm ab ipsa *præsentia*.

§. 61. *Immensitas* & *potentia divinæ præsentiæ* differunt 1. *latitudine*, quia immensitas competit Deo, etiam, cum non est propinquus creaturis. Sicut enim Deus in se est incorporeus, ita ejus essentia non habet terminos quantitatis, nec potest extendi per situationem ad locum: &, quia est spiritus infinitus, ideò neq; est in aliquo Ubi. Hinc Deus fuit immensus ab æterno, antequam creatura ulla, & cum ea, locus atq; Ubi, & tempus ac omnis duratio finita existeret. Potentia autem præsentiæ divinæ tantùm significat præsentiam propinquitatis cum creaturis 2. *virtute*: Immensitas Dei est ἀνενέργητος: potentia v. præsentia divinæ est ἐνεργητικὴ, & operando ad creaturas progreditur. Licet enim immensitas modum ostendat, quo Deus præstò sit & operetur apud creaturas in loco aut ubi existentes, nempè, quod Deus his terminis nequaquam terminetur, sed in loco sit illocaliter, in ubi existentibus creaturis adsit absq; definitione: tamen aliud est immensitas, quæ provenit ex infinitate & incorporeitate Dei; aliud potentia præstò essendi creaturis, quæ ex omnipotentia Dei promanat. Quia enim Deus Opt. Max. infi-

infinitam habet vim agendi apud creaturas, nihilq; designari potest, quod excedere agendo non valeat, ideò ex suâ operatrice virtute adest creaturis.

§. 62. Ab ipsa autem *præsentia divina* differt *tùm* immensitas, *tùm* potentia præsentiæ. Nam 1. immensitas & potentia præsentiæ est Dei proprietas *absoluta*; præsentia autem divina est proprietas *relativa*. Præsentia enim non potest intelligi absq; relatione inter objectum, cui quis dicitur esse præsens, & inter rem præsentē. Itaq; præsentia divina est Dei apud creaturas παρουσία, non autem οὐσία divina, non ipsa Deitas. Nam per præsentiam sibi Deus non est id, quod est, sed est ipsa rerum creatarum impletio: per creaturarum autem impletionem non est in seipso. Per immensitatem v. & potentiam præstò essendi est sibi ipsi quod est, quia per essentiam sibi Deus est id, quod est: at immensitas & potentia præstò essendi est ipsa essentia divina, sicut Tertullianus *lib: cont. Praxeam. c. 5.* inquit: *Antè omnia Deus erat solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* 2. Immensitas Dei & potentia præstò essendi creaturis *in abstracto* prædicatur de Deo: præsentia autem divina non nisi *concretè*. Rectè dico: Deus est sua immensitas, Deus est potētia præstò essendi creaturis. Non autem: Deus est præsentia. Nam præsentia est impletio creaturarum

rarum *Jer. XXIII, 24. Sap. I, 7. Dan. II, 35. Eph. IV, 10.* Sed Deitas s. Deus abstractivè loquendo non est ipsa impletio creaturarum E. non est ipsa præsentia sua. Non quidem negamus, apud Lombardum *l. I. sent dist. 26. lit. A.* ita præsentiam Dei accipi, cùm ait: *dico præsentiam Dei nihil aliud esse, quàm ejus naturam.* Et *dist. 37. lit. A.* ubi ex Ambrosio asserit, in omnibus & ubiq; esse, divinitatis & dominationis proprium haberi. Similiter etiam Chemnitius *hb. de D. N C. c 30.* Ubiq; esse in divinitate, ait, essentiale idioma esse infinitæ immensitatis. Verùm hi authores per præsentiam divinam intelligunt potentiam præstò essendi, quam Formula Concord. appellat majestatem præsentiæ divinæ, cujus potentiæ actus vel exercitium est præsentia ipsa, sicut adorabilitatis effectus est adoratio, & vis ac potestas regnandi est causa ipsius regni & denominationis extrinsecæ, quâ rex appellatur. 3 Immensitas Dei & potentia præstò essendi creaturis fuit *ab æterno*; præsentia autem divina cepit *in tempore.* Præsentia Dei non prius datur, quàm dentur creaturæ, quibus adest, & creentur loca atq; ubi, in quibus sunt creaturæ, quibus Deus præsens est. Quandò autem Deus præsens fuisse ante creatum mundum, & jam etiam præsens extrà mundum in spatiis imaginariis esse statuitur ab Augustino *l. XI de C. D. c. 5. & l. VII. conf. c. 5.* tunc intel-

telligendum id est, non de ipsa præsentia divina in actu secundo consideratâ (hîc enim non nisi positis creaturis ponitur per universalem; positis hominibus piis, ponitur per gratiosam; positis angelis & beatis, ponitur per gloriosam præsentiam: his v. non positis, nec ipse ponitur) sed potentia præsentiæ, s præsentia consideratа in actu primo. Sicut enim potentiam creandi ab æterno habuit Deus, creatio v. in tempore facta: ita etiam potentia præstò essendi in Deo est æterna, sed præsentia divina non cepit, nisi quando initium sumserunt creaturæ, & loca atq; Ubi creaturis concreata. Hoc itaq; vult Augustinus, Deum habuisse potentiam adessendi creaturis, ut, quando illæ existerent, iis præsens esset: & quidem talem potentiam, quâ non tantum in mundo præsente, verùm etiam in mille aliis mundis, si Deus eos creare vellet, præsens esse possit. Quare de ipsa præsentia malè à Scholasticis, Swario *Tom. II. disp. 3. sect. 7. n. 30.* Fonsecâ *l. V. Met. c. 15. qu. 19. s 4.* Mendozâ *Disp. Phys. XIV. Sect. 3* & aliis spatia illa imaginaria intelliguntur. Præsentia enim tantum refertur ad id, quod actu jam est, non, quod demum potest esse. Qr; *quid de spatiis imaginariis tenendum?* Resp. 1. Spatium imaginarium & tempus imaginarium, cui Deus dicitur coextitisse antè creatum mundum, non est Ens reale, sed rationis figmentum.

tum. Ante creationem nullum tempus, sed mera æternitas; nullum spatium, sed mera immensitas. Ubi nullæ creaturæ, ibi nec concreata accidentia: quid ergò opus est tempore & spatiis? *Dices*; Ubi ergò fuit Deus? *Resp.* Fuit in seipso, non positivè, per situationem localem sui ipsius in seipso, sed negativè, quia non fuit in alio, extrà se. Nam ut mundus ipse non in spatio aliquo creato, sed in sua tantum intrinseca quantitate & extensione est & exiſtit: ita nec DEUS antè creatum mundum in aliquo spatio reali fuit, nec jam extrà mundum in aliquo spatio reali est, quàm, quod ipsa ejus immensitas constituit, quâ omne etiam spatium creatum continetur & sustentatur. Undè triplex *spatium* à nonnullis statuitur, *creatum*; quod extensione corporali constat: *increatum*, quod ipsa immensitas Dei est, primum illud intimum & fundamentale spatium, cui omne aliud spatium innititur: & *imaginarium*, quod mens nostra, cum aliter immensitatem Dei concipere nequeat, sibi imaginatur. Hoc est, quod dicit Augustinus *in Psſ. CXXII. Dicet aliquis; & antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* Et Bernhardus *l. V. de consid. c. 6. Deus, ubi erat, antequàm mundus fieret, ibi est. Non est, quod quæras ultrà, ubi erat. Præter ipsum nihil erat. Ergò in seipso erat.* 2. Disting. inter im-

men-

mensitatem, potentiam præstò essendi, & præsentiam ipsam. Concedimus, Deum, si alium mundum crearet, infinitis spatiis distantem ab hoc præsente (quod fieri non repugnat) illi posse indistanter adesse, sed, quamdiu hoc vel aliquid simile non ponitur, tamdiu Deus non est actu præsens extrà hunc mundum in spatiis imaginariis, quia præsentia habet respectum ad id cui Deus præsens sit. Interim Deus manet immensus. 4. Immensitas Dei & potentia præstò essendi est *absolutæ necessitatis*, sine quà Deus nequit esse & manere Deus: Sed præsentia Dei est *liberæ*, & non nisi ex hypothesi, scil. positis jam creaturis, est necessaria, quarum singulis DEUS adest, quamdiu vult. Nam non positis creaturis, non ponuntur termini creaturarum, ubi & locus: proindè nec Deus illis præsens est. 5. Immensitas Dei & potentia præstò essendi uno eodemq; modo & tenore se habet, nec unquam desinet: præsentia autem divina, ut cum creaturis cepit, ita etiam desineret, si Deus creaturas noneſse vellet, & reipsâ desinet, quoad creaturas irrationales, in extremo die. 6. Immensitas & potentia adessendi est *una:* præsentiæ autem divinæ modi s. gradus sunt *plures*. Est n. præsentiæ divinæ gradus *vel* universalis, *vel* gratiosus, *vel* glorioſus. Deindè singulares quoq; modi præsentiæ divinæ, salvâ individuâ essentiâ,

immensitate, & potentia præsto ellendi, possunt esse alii atq; alii, non tantùm, quoad propinquitatem operationis, sed etiam substantiæ. Sic Spiritus S. dabatur Apostolis quoad sanctificationem, ut christianis & fidelibus, quorum templa inhabitabat, non tantùm novâ operatione, præter eam, quæ generalis, & omnibus creaturis communis est, sed etiam, quoad novum propinquitatis substantialis modum. Deindè dabatur Sp S. Apostolis, quoad vocationem specialem ad ministerium, iterum, quà novum propinquitatis, non tantùm operativæ, sed etiam substantialis modum, quando per anhelitum vel afflatum Christi ipsis conferebatur *Joh. XX, 22.* Deniq; iidem Apostoli acceperunt Spir. S. quoad dona miraculosa & ad officium Apostolicum necessaria, cùm anteà Spiritum S. accepissent ad ministerium docendi tantùm, in quo omnes ecclesiæ doctores habent successores: hîc autem ad Apostolatum, in quo nullos habent successores.

§. 63. Ne quidem per omnipotentiam DEI corpus aliquod potest fieri immensum, quoad terminos quantitatis, quia id fieri repugnat ex parte objecti. En enim affirmationem & negationem simultaneam! Corpus est: & ; immensum est. Immensitas corporeitati diametraliter opponitur. Finge mihi corpus absq; quantitate,

& quæ-

& quæro; Corpus est ne quantum, vel non? Si est quantum, ergò nondum quantitas est separata à corpore. Si non; aut quantitas abiit in punctum: (suppositò, dari aliquo, vel separabili, vel actu separato à quantitate,) aut in spiritum: utrumq; absurdum.

§. 64. Humana natura Christi, licet sit quanta, quia corporea, tn. divinâ præsentiâ sibi propter unionem cum λόγῳ personalem communicatâ, creaturis in certo loco aut πῦ existentibus adesse potest simul citrà circumscriptionem localem aut definitionem ubi. Non enim de essentia quantitatis est actualis commensuratio magnitudinis cum loco s. extensio partium corporis ad locum, sed aptitudo tantùm extensionis hujus ad locum, quam alii vocant quantitativam: actualis autem extensio partium corporis ad locum non ad prædicamentum quantitatis, sed ad prædicamentum Ubi pertinet: potest ergò corpus esse quantum, etiamsi ejus partes non commensurentur loco. Est a. alius generis positio actualis, quæ est proprietas quantitatis, s. corporum quantorum, nempè, positio seu situatio partium ad partes. Hanc intelligit Philosophus in prædicamento quantitatis, cum corpora, quatenus magna sunt & continua, ait habere θέσιν s. positionem. Altera v. situatio, quæ

est par-

est partitum, non ad partes, sed ad locum extensio, ad prædicamentum Ubi pertinet. Interim potentia s. aptitudo coëxtensionis ad locum etiam pertinet ad prædicamentum quantitatis. *Dices*; Collocatio partium ad partes est locus intrinsecus. E. omne corpus quantum necessariò est in loco interno. *Resp.* Ita quidem neo- & caco-Philosophus Keckermannus, sed confundit proprietatem quanti intrinsecam cum proprietate τοῦ Ubi. Nam actualis situatio partium ad partes non est collocatio, sed positio tantùm vel ordinatio partium actualis. Locus internus non est locus, quia omnis locus potest separari à corpore: Dispositio v. partium ad partes non potest separari à corpore. Verùm hîc objici possunt nonnulla 1. Unio non potest esse fundamentum vel causa omnipræsentiæ, α, quia Deus, sicut in carne Christi, ita ubiq; adest secundum suam naturam β quia Christus in statu exinationis non fuit omnipræsens 2. nulla res creata est immensa & ubiq;, ergò nec humana natura 3. omnia corpora quanta sunt necessariò in loco, E. & humana Christi natura. *Resp.* ad 1. α Disting. inter substantiam & modum substantialem. DEI substantia adest, & creaturis omnibus, in primis piis ac beatis, & singularissimè assumtæ carni Christi: sed diversus est modus substantialis præstò essendi. Nam creaturis universis adest qui-

quidem generali præsentiæ modo, sed non tàm arctè, ut sanctis, in quibus dicitur habitare, sc. per gratiosam præsentiam. Omnium v. arctissima est unio, quâ filius Dei habitat in assumtâ carne. Nam unio, quâ adest beatis, est quidem inseparabilis, non tamen Deus constituit cum ullo beatorum unam personam, sicut in personali præsentia fit, ubi, propter identitatem personæ, homo ille, cui præsens est Deus, reverâ est & dicitur Deus. Sanctis autem in hac vita ita præsens est, ut non tantùm diversa maneant suppositа Dei & sanctorum, sed etiam, ut hæc præsentia sit separabilis. Ad β Resp. (1) Unio non est causa proxima & immediata omnipræsentiæ, si vox omnipræsentiæ sumitur propriè in actu secundo pro ipso exercitio præstò essendi. Si autem improprie & abusivè sumatur, pro majestate s. potentia præstò essendi, tunc rectè ejus causa proxima dicitur unio: plenarium v. exercitium non est immediatè ab unione, sed à libero usu potentiæ communicatæ, quo Christus sponte se evacuavit, ut opus redemtionis in carne perficeret (2) disting. inter præsentiam intimam & extimam, personalem & ad creaturas. Humanæ natura præsens fuit & est λόγῳ ubique præsentiâ intimâ. E. potuit etiam cum λόγῳ creaturis omnibus præsens adesse præsentiâ extimâ, quando & ubi voluit. non autem voluit secun-

cundum carnem in ſtatu exinanitionis ubique præſens eſſe, quia non requiſivit hoc efficientia officii ejus. Quare nec à potentia affirmata ad voluntatem; nec à voluntate negata ad potentiæ præſto eſſendi negationem valet conſequentia. Ad 2. ℵ non libenter utimur voce Ubiquitatis, propter calumnias adverſariorum. Si enim vox Ubiq; proprie ſumitur, ſequitur, Deum in omnibus locis eſſe localiter præſentem; quod eſt abſurdum: potius ergò utimur voce præſentiæ divinæ. Vox Ubiquitatis non eſt Biblica, admitti tn. poteſt, ſi explicetur de liberrimo exercitio præſentiæ divinæ β nulla res creata, ut talis, ſed, ut perſonaliter eſt unita τῷ λόγῳ, eſt omnipræſens, γ diſting. inter immenſitatem & potentiam præſtò eſſendi. Humanitas non eſt immenſa, interim tamen habet omnipræſentalitatem perſonaliter communicatam. *Inſt.* Immenſitas eſt cauſa omnipræſentiæ *Reſp.* N. Immenſitas enim eſt res neceſſaria; omnipræſentia v. res libera. Immenſitas tantùm oſtendit modum, quo Deus eſt omnipræſens, ita ſcil. ut eum præſentem nullus locus poſſit circumſcribere. Omnipotentia v. eſt cauſa adæquata omnipræſentiæ. Nam ubicunq; DEUS operari poteſt, ibi etiam ſecundum naturam & ſubſtantiam ſuam eſt: Ad 3. omne quantum eſt in loco, niſi præter naturalem proprietatem habeat

beat ἀυχήματα divina per unionem personalem communicata. Christi corpus habet ἀυχήματα quibus si uti velit, potest manere quantum, h. e. aptum coextensioni ad locũ, ut non tn. actualiter situetur, s. extẽdatur cum loco. Nam actualis extensio ad locum est proprium corporis quanti non in quarto, sed tantum in tertio modo. Jam v. per omnipotentiam Dei possunt propria tertii modi separari, salvâ substantiâ & ejus proprietate in quarto modo, sicut in fornace Babylonicâ ab igne separabatur ustilatio, seu actus comburendi, salvâ ipsâ ignis substantiâ & ustibilitate s. potentiâ urendi.

CAPUT VIII.

De

Incomprehensibilitate DEI.

§. 65. Ἀκαταληψία s. INCOMPREHENSIBILITAS est modus essentiæ divinæ, quo illa non potest ab ullâ creatura plenè & adæquate percipi. Nam magnitudinis Dei neq; finis est, neq; investigatio *Ps. 145, 3.* Cognitio comprehensiva alicujus rei est, quâ totum id, quod est in objecto intelligibili, cognoscitur notitiâ, vel intuitivâ, vel intellectuali, vel utrâq; Modus loquendi desumtus est à dimensione corporum, quæ comprehendi dicuntur, cum tota eorum quantitas ita intrà rem aliquam continetur, ut nihil

nihil de quantitate illius sit extrà continentis complexum. Comprehendi ergo illud dicitur, quod cognoscitur, quantum ex se cognoscibile est, s. quod videntis cognitione finitur, ut loquitur Augustinus *l. XXCIII. quæst. q. 1. 4.* Et comprehensio est cognitio omnium formalitatum, quæ sunt in objecto, ita ut nihil objecti lateat cognoscentem. Vel; est clara & distincta cognitio objecti secundum omnia, quæ habet formaliter & eminenter, prout eam describit Vazquetz *1. p. d. 52. c. 1.* Hoc modo Deus est incomprehensibilis. Nam 1. Quicunq; ne quidem quidditativè à nobis est cognoscibilis, is multò minus comprehensivè. Atqui Deus &c E. &c. Consequentia claret, quia omnis comprehensiva cognitio quidditativa est, licet non vice versâ. Minor probatur, quia cognitio quidditativa dicitur illa, quâ res cognoscitur secundum omnia prædicata essentialia, genera omnia & differentias, quæ ad illius constitutionem pertinent, &, si quid est aliud, quod de ea essentiali prædicatione dicitur, sicut eam describit Thomas *I. p. q. 88.* Swarius *Disp. XXX. Sect. 12. n. 8.* Fonseca *l. II. Metaph. c. 1. qv. 2. s. 1.* adeoq; illud per cognitionem quidditativâ dicitur cognosci, quod potest perfectè definiri. Deus a. nequit definiri, quia quicquid propriè loquendo definitur, id definitur per prius, teste Aristotele *l. VI. Top. c. 3.* At Deo nihil

nihil est prius. 2. Thomas *1.p q 12.* docet, ad comprehensionem Dei requiri, ut infinitè cognoscatur. Quæ tamen ratio Thomæ suâ obscuritate & difficultate non caret.

§. 66. Quando autem finito intellectui comprehensivam Dei notitiam negamus, non simul DEO ipsi detrahimus *Luc. X, 21. I. Cor. II, 20.* Nam cum Deus dicitur incomprehensibilis, negatio IN solùm excludit comprehensionem illam, quæ arguit in DEO imperfectionem; at, quod Deus seipsum comprehendat, non est imperfectio in ipso, imò esset magna imperfectio, se non comprehendere. Quin, si stricte volumus loqui, non possumus dicere, Deum comprehendi à seipso, quia comprehensio propriè non est ejusdem ad seipsum, ubi cognoscens est suamet cognitio per essentiam: solum ergò per respectum intellectus nostri imperfectè Deum concipientis, dicitur Deus comprehendere se, meliusq; diceretur, esse suum perfectum intelligere per essentiam. Undè Thomas *1.p. q. 14. a. 3.* docet, cum Deus dicitur comprehendi à se, negativè potius, quàm positivè explicandum esse, quia ita se cognoscit, ut nihil ipsum lateat de seipso.

§. 67. Licet autem intellectus creatus careat cognitione Dei comprehensivâ, non tamen caret apprehensivâ, quâ tantum cognoscitur, quantum ex revelatione ipsius, per ejus condescensum ad fi-

nitum captum factâ, mens creata potest capere. Est autem hic condescensus, s. indulgentia Dei ad creaturas cognoscentes, cum Deus se, non ut est in se, & quatenus est, ostendit, sed, ut videre potest is, qui hujusmodi adspectum consequitur, quatenus infirmitate videntis suam repræsentationem metitur ac temperat.

§. 68. Apprehensiva notitia est triplex: *Naturæ, Gratiæ & Gloriæ.*

§. 69. Τεχνολογία hæc non incommodè potest in διχνολογίαν redigi, ut apprehensiva notitia s. *visio* alia dicatur *specularis*, aut *ænigmatica*, quæ datur in hac vita apud viatores, & admittit suos gradus: alia *intuitiva*, quæ est angelorum & beatorum. *I. Cor. XIII, 12.*

§. 70. *Visio specularis* vel est *extraordinaria*, vel *ordinaria*, (NB. Visio specularis exinde nominatur, quod, sicut speculum repræsentat non rem ipsam, sed imaginem ejus, & qui rem in speculo videt, non immediatè ex ipsa illam cognoscit, sed ex imagine ejus: ità quoq; se habet cognitio specularis, quâ Deum in hac vita à posteriori ex effectibus, vel ex revelatione cognoscimus, & ipsum non immediatè ac in seipso, sed qs. imaginem ejus in operibus, aut in verbo contemplamur) *Extraordinaria* facta est, vel *per speciem* aut similitudinem; vel *per symbolum* supernaturale. Prior contigit Mosi *Num. XII, 7 8.* Jacobo *Gen. XXXIII, 30.* Paulo *I. Cor.*

I. Cor. IX, 1. II. Cor. XII, 1. Stephano *Act. VII, 55.* Statuunt quidem Augustinus *l. XII. de Genesi ad literam c. 27, 28.* & Thomas *p. 1. q. 12. a. 11. ad 2.* & *II. Secundæ q. 175. a. 3.* Mosen ac Paulum Deum in hac vita tam clare vidisse, ac beati in altera vita vident, sed obstat *Exod.* XXXIII, *20. 23.* & *I. Tim. VI, 16.* Dices 1. visio Dei non fuit ænigmatica, sed facta est absq; problemate: per hoc enim differt à visionibus Propheticis *Num.* XII, *6. 8.* E. fuit intuitiva I. *Cor.* XIII, *12.* 2. Facta est à facie ad faciem. *Resp.* ad 1. Paulus loquitur de intellectivâ & ordinaria visione; Mosis autem visio fuit corporalis & extraordinaria. Adde, quod visio ænigmatica apud Paulum opponatur visioni simpliciter immediatæ, intuitivæ, clarissimæ, omnia involucra, qualia sunt symbola & fides, penitus excludenti: apud Mosen v. visioni, quæ facta per certam speciem, clariori in suo genere symbolis & fide. Ad 2. Videre Deum à facie ad faciem, vel notat, coram ac immediatè videre essentiam Dei, I. *Cor.* XIII. *12.* *Exod.* XXXIII, *20.* vel videre Deum in assumtâ quâdam forma se repræsentantem. *Num.* XII, *8.* *Exod. 33, 11. 23.* Posterior, quæ fit per visiones symbolicas, s. in somnio, s. in ecstasi, s. aliàs cœlitùs oblatas contigit Prophetis *Num.* XII, *6.* qui ob id dicti videntes I. *Sam.* IX, *9.* Huc referendæ sunt visiones Johannis Apocalypticæ.

§. 71. *Ordinaria* ratione principii est vel *natu-*

ralis vel *supernaturalis*, h.e. vel naturali, vel supernaturali lumine patefacta.

§. 72. *Visio naturæ* est notitia de Deo & rebus divinis, orta ex naturalibus principiis. Dari visionem Dei naturalem contrà Photinianos probatur ex *Rom. I, 19.* Ubi habeo (1) subjectum, gentes, de quo (2) prædicatur cognoscere (3) cognitionis objectum, tùm generale, invisibilia Dei: tùm speciale, sempiterna Dei potentia & divinitas (4) cognitionis medium, creatura & natura: illud externum, hoc internum, (5) modum, per Ἀλογισμὸς conf. *v 32. Act.* XIV, *16.* XVII, *7.* Dices 1. gentes dicuntur ignorare Deum 2. æternam potentiam & divinitatem credimus *Ebr.* XI, *6.* Resp. ad 1. non naturaliter, sed spiritualiter & salvificè. Ad 2. non absurdum est, eandem conclusionem ex duplici innotescere principio, naturali & supernaturali.

§. 73. Visionis naturalis conclusiones exstruuntur partim ex principiis naturâ insitis, partim ex contemplatione operum & effectuum Dei, vi naturalis Ἀλογίας. Hinc Visio naturalis alia est *insita*, alia *acquisita*.

§. 74. *Insita* est communis illa notitia de DEO, hominis animo impressa. Hæc continet notiones ad Deum pertinentes, tùm *Theoreticas*, tùm *Practicas*. Illæ explicant, vel, *An*; vel, *quid* sit? Hæc ad Deum pertinens est una: *Deum colito.*

§. 85. Notitia naturalis *acquisita* est cognitio Dei per

per discursum mentis comparata ex actuali operum Dei contemplatione. Estq; duplex: Prior explicat, *an* sit? posterior; *qualis* sit Deus.

§. 76. *An* sit, per naturam ex contemplatione effectuum probatur & cognoscitur. Horum effectuum præcipui sunt creatio, rerum varietas & ordo, rerum creatarum sustentatio, gubernatio & conservatio.

§. 77. *Qualis* verò sit Deus, ex operibus eius naturaliter cognoscitur tribus modis (1) viâ eminentiæ (2) viâ negationis (3) viâ causalitatis; Sic docet Dionysius *c. II. de myster. Theol.* & *de Divin. nomin. c. VII. Via eminentiæ est*, quâ id, quod perfectionem quandam simpliciter in creaturis obtinet, eminentissimo modo in Deum locamus v. g. sapientiam, potentiam &c. *Via negationis* est, quâ id, quod in nobis vel perfectionem saltem comparatam, vel imperfectionem arguit, simpliciter à Deo removemus v. g. discursum mentis, mortalitatem &c. *Via causalitatis* est, quâ ab effectis DEI, tanquàm ejus simulacris, mens elevatur ad ipsum Deum, tanquàm causam, & in creaturarum essentiis Dei essentiam, in virtutibus & effectis, divinam virtutem, in causis deniq; divinam potentiam, sapientiam & bonitatem æstimat. Ceterum accuratè observandum est, has tres vias semper esse conjunctas. Nam negationis modus ita accipiendus est, ut intelligamus, in iis negationibus, non solam ac

simplicem esse negationem, sed excellentiores ibidem affirmationes positionesq; delite scere. Similiter in via causalitatis, quia ad excellentiam illius causæ nunquam assurgit effectus, semper adducendus est modus eminentiæ, secundum quem perfectiones creaturarum infinitè perfectiores in Deo esse intelligantur.

§. 78. *Visio supernaturaliter revelata* est notitia rerum supernaturalium I. *Cor.* XII, 3. *Matth.* XI, 27. divinitus patefacta, ad veram Dei agnitionem, & æternam hominis salutem accommodata.

§. 79. An hæc visio faciat propriè scientes, vel *an sit scientia?* Disputant Doctores Scholastici. Thomas *p. 1. q. 1, 4. 2.* & cum eo Fonseca *l. IV. Met. q. 1. f. 5.* pro scientia habent, idq; ideò, quòd hæc visio visioni beatorum subalternetur, & ab ea tantummodo ut imperfectum à perfecto differat I. *Cor.* XIII, 9. Visio autem beatorum scientia est, cùm maximam evidentiam habeat, imò in clara Dei visione posita sit. Idem videtur svadere Scriptura, quoties sciendi voce utitur *Job* XIX, 25. II. *Tim.* I, 12. I. *Joh.* III, 5. Contrà Scotus *III. sent. dist. 24. qu. 1.* Durandus *in proleg. sent. q. 2.* negant esse scientiam, propterea quod deducatur ex principiis obscurè cognitis, articulis sc. fidei. Sententia placet, ratio displicet. Nam principium hujus visionis suâ naturâ est clarum, licet nobis in quibusdam obscurum esse videatur. Scotus, Durandus,

dus, Junius, Polanus & alii, dicunt esse *Sapientiam*, tùm, quia sit regina omnium disciplinarum, tùm quod subjectum, imò principium & finis ejus sit ens nobilissimum, DEUS: tùm, quod scriptura sepissimè eam vocet sapientiam *Deut.* IV, 6. *Psal.* XIX 8. *Prov.* II, 9. III. 13. I. *Cor.* II, 6. *Jac.* III, 17. Nos dicimus I. Visio viatorum supernaturalis non est sapientia, α quia non habet pro fine nudam γνῶσιν β quia non constat intellectu & scientia *l. VI. Eth. c. 7.* Quoad objectiones, *resp.* ad 1. reginam esse omnium disciplinarum non est necessaria conditio sapientiæ, cùm Politica etiam sit architectonica. Ad 2. Subjectum hujus visionis non est Deus, sed Deus est principium essendi, à quo finis & subjectum dependet. Visio hæc non tantùm Dei naturam & proprietates contemplationis ergò proponit, sed etiam agit de hominis justificatione & salute æterna. Ad 3. Visio hæc quidem interdum sapientia, interdum scientia appellatur, sed, ut Augustinus inquit *l.* XIII. *de Trin. c. 17.* latiori loquendi consuetudine. II. Eandem ob causam non est scientia, quia non habet evidentiam scientificam, nec principiis constat, quæ ex terminis ipsis clara sunt. Ad 1. *resp.* Visio viatorum à visione comprehensorum non tantum differt, tanquam imperfecta à perfecta; sed etiam, ut obscura & ænigmatica à clara & evidente I. *Cor.* XIII. *Heb.* XI, 1. Ad 2. quando ea, quæ verbo Dei reve-

lantur, sciri dicuntur, non tam rerum illarum evidentia, quàm certitudo indicatur, quæ, etiam in ænigmatica cognitione, tanta est, imò major, quàm in omni scientia philosophica, cùm Dei verbo, h.e. summæ veritati innitatur. Rectissimè ergo negamus, visionem hanc esse scientiam, tùm quia deducitur ex principiis creditis, non autem lumine naturali cognitis: tùm, quia non acquiescit in contemplatione, sed progreditur ad actionem, sc. justificationem. Ursinus *in catech.* Keckermannus *in System. Theol.* & *Gymn Log.* Alstedius & alii volunt, visionem hanc rectè definiri per *prudentiam*, idq; probant (1) ab enumeratione omnium habituum intellectualium (2) quia finis Theol. est praxis, recuperatio imaginis divinæ & sanctificatio voluntatis atq; affectuum *Hebr.* XII, 14. (3) ex testimonio Pauli *I. Tim. I, 5.* & Jacobi *c. I, 22.* (4) quia fides est fiducia, residens in affectibus. Sed, nos negamus esse prudentiam α quia finis & media disciplinæ practicæ sunt ἐφ' ἡμῖν, in nostra potestate; visionis hujus non item: β quia finis hujus visionis non est πρᾶξις, sed justificatio; justificatio autem non est πρᾶξις, quia ad eam nihil confert subjectum. Sanctimonia est proprius justificationis effectus, & ἴδιον πάθος hominis justificati. Quoad objectiones, resp. ad 1. enumeratio habituum Aristotelica tantùm ad disciplinas humanas directa est,

cta est, non simul ad θεοσδότας. Ad 2. N. Min. quod semper πρᾶξις includat aliquam subjecti habilitatem ad producendum finem. Non valet consequentia: sine sanctimonia nemo videbit Deum, E. sanctimonia est finis hujus visionis: Nam etiam sine morte & trãsmutatione nemo videbit Deum. Ad 3. dictum Pauli de tertio legis usu loquitur; Jacobi de studio bonorum operum. Opera v. bona non sunt finis, sed connexum finis, s. proprius effectus justificationis. Ad 4. concedo, fidem non esse meram contemplationem, sed fiduciam in affectibus residentem, & virtutem quandam practicam. Sed hâc ratione non ingreditur actum justificationis, verùm, quoad apprehendit meritum Christi. Swaretz *disp. I. Metaph. p. 5. d. 5.* hanc visionem speculativam & practicam simul esse existimat. Sed hoc pugnat cum natura disciplinarum non-theoreticarum, quibus aliquo modo nostra similis est. Harum enim unitas dependet ab unitate finis, docente Zabarellâ *l. II. de Method. c. 3.* Visio v. supernaturalis ita duos fines haberet, nec esset una disciplina. Quarè cùm nullus habituum Aristotelicorum possit esse hujus visionis genus proprium, sumi debet ejus loco vox notitiæ.

§. 80. *Visio supernaturalis* vel consideratur *systhematicè*, prout ex libro addiscitur; vel *habitualiter*, quatenus est dispositio vel habitus in animo hominis renati occultam illam sapientiam divinam tenentis.

§. 81. *In systhemate* Visionis hujus respiciendum est ad *Methodum*, & ad *ordinem*.

§. 82. *In Methodo* considerandæ sunt *conclusiones*, & *principia* cognoscendi.

§ 83. *Conclusiones* sunt enunciationes, vel dogmata, quæ in sacris literis exstant, vel αὐτολεξεὶ & *expressè*, vel κατὰ συναγωγὴν, s. *evidentem consequentiam*. Vocantur aliàs articuli fidei, Doctrina Christiana, Religio Christiana, & respectu Sectariorum, Lutherana. Errat ergò Thomas *p. 1. q. 1. a. 8*, qui articulos fidei pro principiis habet, & ea, quæ ex illis deducuntur, pro conclusionibus, qs. v. visio supernaturalis nihil aliud doceat, quàm, quod articulis fidei vel consentaneum, vel dissentaneum est. Damnant hunc errorem Alphonsus Salmeron *proleg.* IX. *comm. in Hist. Evang.* Vasquetz *disp. III. in 1. part. Thomæ, c. 3.* & alii. Quod diximus de respectiva appellatione doctrinæ Lutheranæ, frustrà flagellatur à Calvinianis ex *1. Cor. 1, 13.* Nam duplici ratione consideratur religio Christiana (1) ratione eorum, qui sunt in unitate fidei, & eandem sonant doctrinam (2) ratione hæreticorum. Priori respectu non usurpamus nomen Lutheranæ religionis, & de hoc loquuntur verba Pauli. De hoc quoq; intelligedæ sunt sententiæ Patrum, Augustini *Tract. in Joh.* XII, & XLVII. Chrysostomi *Homil.* XXXIII. & Lutheri *Tom. II. Wittenb. fol. 7.*

§. 84.

§. 84. *Conclusiones* hæ vel sunt *meræ revelationis*, s. merè spirituales: vel *non*. Priores sunt, quæ tantùm in scriptura traduntur, & de quibus naturaliter aliquid homini in mentem nunquam venire potuit v. g. Deus est trinus in personis; Adam9 lapsus est, & peccatum originis in omnes posteros derivavit; Corpus Christi exhibetur in S. Cœna. Et de his notentur sequentia porismata I. De quæstionibus merè spiritualibus judicandum est secundum ipsarum formale, non materiale. *Formale* voco modum unionis, s. respectum prædicati & subjecti ad se invicem, ex rectâ limitatione subjecti ortum: *materiale* v. ipsa extrema secundum se & absolutè vel seorsim considerata II. Termini conclusionis merè spiritualis secundum formale considerati, ambo nonnisi in scriptura reperiuntur. Licet ergò terminus seorsim sumtus ad aliam disciplinam pertineat, tamen ratione habitudinis cum altero extremo ad solam Theol. spectat, ut sit, v. g. in propositione; An corpus Christi sit in loco? Ideò malè Keckermannus *in Syst. hem. Log.* & Goclenius *in Inst. Log.* ejusmodi propositiones mixtas vocant. Posteriores sunt, quæ & per Scripturâ, & aliquatenus rationis lumine innotescunt. Et de his notamus sequentes canones I. Conclusiones non meræ spirituales, tàm in Scriptura, quàm in Philosophia reperiuntur secundum formale suum. II. Una eademq; conclusio interdum pro diversa

versa limitatione subjecti potest esse merè, & non-mere spiritualis v. g. quæritur; An humana natura Christi sit ubiq; ? si subjectum rectè limitas; Natura humana, quatenus est deificata, s. in personam τ̃ λόγυ assumta: ad solam Theol. pertinet. Si ita limites; Natura humana Christi secundum naturales proprietates non est ubiq; : de hâc præter Theologum etiam Physicus novit.

§. 85. *Principium cognoscendi* in visione hâc est patefactio divina gratiosa, s. Verbum Dei, idq; vel *unicè*, vel *primariò*. Ubi notamus, principia cognoscendi esse duplicia, alia *methodi*; alia *ordinis*. Illa sunt ὀικεῖα λήμματα cujusq; disciplinæ: hæc in disciplinis quidem non-theoreticis sunt anticipata notio subjecti, & notio finis, itemq; ejus definitio, an sit, & quid sit. Sermo nobis hic est de prioribus, quæ à Zabarella *l. III. Method. c. 1.* dicuntur agentia, sicut posteriora dicuntur dirigentia.

§. 86. *Principium primum* in hâc visione, in quod omnia vera dogmata ultimò resolvi necessum est, est hoc; DOMINUS DIXIT. *Es. VIII, 19. Joh. V, 39. Act. XVII, 11. I. Cor. X, 15.* Ac proinde in hâc visione præcipuè videndum est, Quis dicat, quod docent & explicant Clemens Alexandrinus *l. VII. Strom. p. 261.* Augustinus *l. I. de unit. eccles. c. 3.*

§. 87. *Principium* cognoscendi solitarium & *unicum* est verbum DEI in conclusionibus merè spiritualibus probandis. Probatur (1) Testimonio Pauli

Pauli *I. Cor. II, 5. II. Cor. X, 4. 5.* (2) conclusiones hæ superant scientiam humanam, E. ex Philosophia probari nequeunt. Major probatur, quia inter normam & normatum, probans & probatum debet esse proportio. Minor; quia Philosophiæ principia sunt natura & ratio: conclusionum mere spiritualium principium est verbum DEI. Illa dogmata cadunt sub scientiam; hæc sunt credenda *Heb. XI, 1.* (3) Paulus *I. Cor. II.* asserit his argumentis α *à dissimilibus*: Distinguit enim sapientiam hujus seculi & principum hujus seculi, h. e. Philosophorum, à sapientia Dei β *à propriis adjunctis*: Hanc doctrinam dicit esse in mysterio absconditam, cujus conclusiones tales, quæ nunquam in cor hominis adscenderunt γ *ab impossibili*: Non capit ex se ratio humana, neq; judicare potest de rebus mere spiritualibus δ *à repugnantibus*: sapientia humana sibi relicta, & propter vitiosam applicationem principiorum suorum, ea quæ sunt Dei, habet pro stultitia. (4) est contrà naturam methodi, ut conclusiones mere spirituales rationibus humanis demonstrentur. Non enim licet demonstrando de genere in genus transilire *l. I. post. Anal. c. 1. l. 1. Eth. c. 6.* conf. Tertullianum *in libr. de præscript.* Chrysostomum *Homil. XXI. in Genesin.* Basilium *in Ps. CXV.* Neq; hic differentia est inter conclusiones, quarum alter terminus est Philosophicus, ut Keckermannus & Goclenius volunt. Nam 1. Philoso-

losophia simpliciter conclusionem merè spiritualem non potest judicare, E. nec confirmare. Minor probatur *à forma:* Cujus enunciationis connexio latet, de ea non potest fieri judicium. Atqui enunciationum merè spiritualium &c. E. &c. Minor iterum probatur: Ubi subjecti ignoratur limitatio, ignoratur ipsa prædicati cum subjecto connexio. Atqui in Philosophia &c. E. &c. 2. distincta non sunt confundenda. Sed explicatio terminorum seorsim sumtorum & connexio terminorum sunt distincta. E. &c.

§. 88. In conclusionibus non merè spiritualibus probandis, adhibentur non tantùm spiritualia principia ex scriptura, sed etiam Philosophica: ita tamen ut primum principium sit verbum Dei, à quo robur & certitudinem majorem accipiunt argumenta Philosophica. Quando enim Visio hæc cum Philosophia conclusiones quasdam communes habet, tùm nequaquam existimandum est, Visionem hanc subordinari Philosophiæ. Admittit enim illas Visio supernaturalis, non, quod absq; principiis philosophicis ex verbo, tanquam vernaculo principio, cognoscere nequeat, sed veritatem philosophicam examinandi & judicandi causa: non aliter ac Metaphysicus à Physico mutuatur sua principia.

§. 89. Ad dijudicandum *ordinem didascalicum* hujus Visionis, sunt præcipua capita (1) *de principio*

pio cognoscendi, quod est scriptura (2) de *principio essendi*, quod est Deus (3) de *subjecto*, quod non est Deus, ut multi volunt. Esset enim aut subjectum contemplationis, aut operationis. Non illud; quia visio hæc non subsistit in nudâ contemplatione, sed ulterius ad justificationis ἐνέργειαν porrigitur. Nec hoc; quia Deus non cadit sub praxin. Subjectum hujus visionis verum est homo peccator. Propter ipsum enim omnia scripta, & à Christo facta sunt. (4) de *fine*, qui est justificatio, (5) de *mediis* ad finem ducentibus, quæ sunt à parte DEI, verbum & sacramenta: à parte hominum fides.

§. 90. Proindè visio hæc magis disciplinis non-theoreticis, quâm scientiis similis est. Similitudo illa inprimis in tribus consistit 1. quia, ut artes & disciplinæ practicæ fine mensurantur; ita & hæc visio 2. ut illæ subjectum præcognoscunt, cui finis est introducendus; sic etiam hæc 3. ut in illis definitio finis antè omnia est necessaria; ita in hoc fundamentum est justificatio, quo lapso, tota facile corruit doctrina Christiana, vid. Lutherum *in Epist. ad Galatas*. Interim magna quoq; dissimilitudo est inter disciplinas non-theoreticas humanas, & hãc. Nam in illis duo tantum sunt præcognita ratione ordinis: Subjectum & Finis. In hàc quatuor nempè, præter hæc duo, (1) Scriptura, quæ ratione quidem methodi est principium cognoscendi, quatenus inde probantur conclusiones Theologicæ: sit tn.

ratio-

ratione ordinis etiam prœcognitũ, quatenus conclusiones hæ cognosci nequeũt, nisi prœcognoscatur principium, undè illa manant, & ad quod, tanquàm normam, revocãtur. Quod in artibus & practicis disciplinis, quæ exstruuntur ex principiis naturâ notis, itemq; sensu & experientia, usu non venit (2) Deus. Quia enim hâc visione superior aliqua disciplina non datur, quæ de DEO tantum, quantum ad salutem sufficit, agat; ideo Visio hæc tractare de subjecto & fine suo non potest, nisi prœcognoscat principium essendi, à quo, & subjectum ratione creationis ac restaurationis; & media salutis, & salus ipsa dependent. Secus se habet res in artibus & practicis disciplinis, ubi ad finem pertinentia media sunt posita in hominis arbitrio & industria. Secunda discrepantia est, quia finis artium & disciplinarum practicarum est in hominis potestate, & subjectum aliquam vim habet ad finem obtinendum. Visionis v. hujus finis planè non est in viribus hominis positus; estq; homo ipse subjectum merè passivum justificationis. Quia tamen practicis disciplinis similior est Visio nostra, quam theoreticis, ideò ordo Analyticus ei maximè accommodatus est: hic enim est destinatus artibus & practicis disciplinis.

§. 91. *Visio supernaturalis*, alia est *extraordinaria*, alia *ordinaria*. Illa per immediatam & subitaneam Dei illuminationem acquiritur: hæc per diuturnam

nam religiosæ meditationis exercitationem, aliaq; adminicula animo imprimitur.

§. 92. *Ordinariæ* visionis *instrumenta* sunt artes: Grammatica, Logica, Rhetorica, & Philosophia.

§. 93. *Grammatica* prodest Visioni ad vocum & phrasium interpretationem.

§. 94. *Logica* inservit, *tùm* quoad principia formalia, *tùm* quoad materialia: *vel*, ut formam syllogismorum considerat; *vel*, ut materiam, s. connexionem prædicati cum subjecto attendit. *Ratione formæ* inservit, quatenus consequentiæ syllogismorum Theologicorum necessitatem dirigit. Nam non integrum est Theologo, quodvis ex quovis concludere, nec licet ipsi magis in forma peccare, quàm aliis. Hoc tamen notetur, in Theol. esse multos singulares Syllogismos, qui in aliis disciplinis non dantur. Revocantur v. ad modos universales, quia singularia illa sunt monadica, & respondent aliquâ ratione universalibus. *Ratione materiæ* Logica inservit huic visioni, *vel* generatim, *vel* speciatim. *Generatim*, quatenus in genere judicat nexum propositionum, an sit necessarius, an non. *In specie*, quatenus connexionem prædicati cum subjecto in hac vel illa conclusione expendit. Et hic modus iterum est *vel* directus, *vel* indirectus. *Directus* usus Logicæ est in illis propositionibus & conclusionibus ju-

dicandis, quæ congruunt ad aliquem modum per se, aut accidentis v.g omnis credens in Christum est justus coràm Deo. *Indirectus* est in iis, quarum prædicatum non dicitur vel essentialiter vel accidentaliter de suo subjecto. Sunt v. propositiones Theologicæ, quæ ad usitatos essendi modos non congruunt, trium generum: In *prima classe* sunt illæ prædicationes de DEO: *DEUS est bonus*: *Filius Dei est Deus*: *Spiritus Sanctus est Deus*. Hæ non sunt regulares, quia in Deo nihil generalius aut specialius est. Ut cum dico: DEUS Pater generat filium, τὸ generare nec essentialiter, nec accidentaliter Deo tribuitur, sed hypostaticè. Sic essentia prædicatur de Deo Patre, Filio & Spir. Sancto incomprehensibili & ineffabili modo. Nec ullius momenti est, quod Piscator Herbornensis dicit, propterea DEUM esse genus trium personarum, quia de iis in quid est non reciprocè vox Dei prædicatur. Sequeretur enim hoc, si personæ divinitatis per essentiam differrent, & multiplicatis personis divinis multiplicaretur DEUS, sicut nervosè Thomas *1. summ. q. 3. a 5.* & Alexander Alensis *1. summ. q. 48. m. 4. a. 1.* docent. In *secunda classe* sunt prædicationes personales de Christo: Modi enim prædicandi desumuntur à modis essendi. Sed hîc datur modus essendi plane singularis. E. etiam prædicandi. Minor probatur, quia communicatus

ἓ λόγῳ

τὸ λόγος actus hypostaticus nec accidit simpliciter assumto homini in personam τῷ λόγῳ, cùm indè sit Deus: nec essentialiter illi competit, cùm essentialiter sit solius λόγος: & tn. assumto homini actus ille personalis communicatus verissimè & realissimè competit. Quare nec prædicationes inde resultantes, (*Deus est homo; Homo est Deus*) ex Synonymarum & paronymarum censu erunt, quibus aliàs amplitudo propositionum exhauritur. Sed & longè singulariſſimum est, quod singularis ſ individua natura de singulari persona, & viciſſim prædicatur, ut; *Deus est homo*, &: *Homo est Deus*. Si subjectum propriotum de Christo syllogismorum attendimus, & hîc mira sese offert singularitas, de quâ alibi ex professo, cum Bono Deo, agetur. In *tertia classe* sunt prædicationes sacramentales: quando de pane & vino prædicatur corpus & sanguis Christi, nec essentialiter, nec accidétaliter, quia prædicatum cum subjecto neutro modo cohæret, sed sacramentali unione & συμβολικῶς, exponente Justino, *Apol. II.* Cyrillo *homil. X. in Joh. c. 10.*

§. 95. *Rhetorica* inservit huic Visioni ad persvasionem auditorum, docendo, flectendo & delectando eos. *Dices*; Paulus *I. Cor. II.* omnem eloquentiam in sacris improbat. *Resp.* Alia est vera δεινότης, & vis per eloquentiam docendi, hortandi, consolandi: alia fictitia, quæ religio-

nem inflectit ad hominum voluptates, quibus tota phalerato & ambitioso verborum apparatu inservit. De hâc loquitur Paulus; non de illâ. Habet sanè suum usum eloquentia, præprimis in movendo, hortando & corripiendo.

§. 96. *Philosophia* inservit huic visioni, *vel* didascalicè, *vel* elenchticè: *didascalicè*, *vel* ratione terminorum, *vel* ratione propositionum: *Priori modo*, quatenus terminos dextrè explicat, & sic notandum est, Terminos Philosophicos huic visioni applicandos ab omnibus imperfectionibus priùs liberandos esse. *Posteriore modo*, quatenus secundariò confirmat propositiones, quæ non sunt meræ revelationis divinæ. Usus Philosophiæ *elenchticus* consideratur ratione articulorum, *vel* merè, *vel* non-merè spiritualium. In non-merè spiritualibus quæstionibus Philosophia refutat errores rationibus Philosophicis tanquàm familiaribus subsidiis, & ostendit, eos etiam lumini naturæ adversari. In merè spiritualibus quæstionibus Philosophia ad elenchum non aliter facit, nisi, quod demonstrat, fundamenta Philosophica ab adversariis allata vel omninò falsa & fictitia esse, vel, si certo respectu vera sunt, malè tamen applicari ad quæstiones merè spirituales, quæ, cùm suprà leges naturæ sint, ex legibus naturæ judicari non debent.

§. 97. Vi-

§.97. *Visio gloriæ* est, quâ DEUS ab Angelis & beatis hominibus gloriosè cognoscitur in vita æterna.

§.98. In Visione hâc consideramus *tùm* Principium, *tùm* objectum, *tùm* modum.

§.99. *Principium* Visionis beatæ non est vis naturalis intellectus creati, sicut olim docuerũt Anomæi & Begardi. Nam in natura non est principium sufficiens ad illam visionem, propter eminentiam Dei. Atq; adeò Visio beatifica est supernaturalis, non saltèm quoad modum, sed etiam quoad substantiam, quia entitas ejus talis est, ut à nullo intellectu creato operante per vires suæ naturæ fieri possit. Visio beatifica non minus supernaturalis est, quàm visio supernaturalis viatorum, cui tanquàm imperfectiori succedit clara visio tanquàm aliquid perfectius.

§ 100. Indiget ergò intellectus ad Visionem beatificam principio aliquo supernaturali, quod Scholastici vocant *lumen gloriæ*. Nempè, *Visio naturalis*, quâ Deus cognoscitur ex effectibus suis ut prima causa, fit per *lumen naturæ*, quod est facultas, quâ mens hominis naturaliter pollet. Ad eliciendos enim actus intelligendi sibi proportionatos & connaturales intellectus in suo ordine idoneum est sufficiensq; principium, nec eget superiore & superaddito lumine, nisi, quandò enitendum est ad actus, qui vires natu-

ræ transcendunt. *Visio supernaturalis specularis*, quia versatur circà ea, quæ ex principiis naturâ notis deduci nequeunt, sed captum mentis humanæ sibi relictæ excedunt, ideò indiget superaddito aliquo *lumine gratiæ*, quo intellectus per Spiritum S. corroboretur. *Visio* autem *supernaturalis intuitiva*, quia est longè excellentior, quàm cognitio per fidem, ideò etiam excellentiore lumine, quo intellectus corroboretur, ut eminentissimo objecto immediatè unitus eam producat, opus habet. Id *lumen gloriæ* appellari consuevit. Probat hoc lumen Fides *Ps. XXXVI. 10. Es. LX. Apoc. XXI, 23.* Probat Natura eo ipso, quod negat, intellectum viribus naturalibus posse visionem hanc perficere. Consentiunt, præter Durandum, plerique Doctores Scholastici, Thomas *p. I. q. 12. a. 2.* Cajetanus, Capreolus, Ferrariensis, Paludanus *in h. l. Thomæ.* Soto *l. IV. dist. 49.* Bonaventura *l. III. d. 14. art 2. q. 1. ad 3.* Argentina *l. IV. dist. 49. q. 2. art. 1.* Swaretz *l. II. de attrib. divin. c. 14. n. 3.* Cæterùm, quodnam hujus luminis munus sit, variè disputant Scholastici, *aliis* statuentibus, lumen hoc conferre intellectui virtutem activam & connaturalem ad efficiendum actum visionis, ita, ut quoad fieri potest, suppleat ex hoc parte defectum potentiæ: *aliis*; lumen unire objectum potentiæ & supplere vicem ejus in agendo, tanquàm similitudinem ejus: *aliis*; lumen

lumen gloriæ esse qualitatem adeò eminentem, ut & elevet ac confortet intellectum ex parte ejus, & simul repræsentet intentionaliter objectum: *aliis*; lumen hoc esse dispositionem passivam seu materialem ad eam unionem, quæ fit inter divinam essentiam & intellectum in esse intelligibili: *aliis*; deservire hoc lumen in genere causæ materialis, s. dispositionis ad recipiendam visionem beatam: *aliis* aliter. Nos breviter: Lumen gloriæ est fixus & immobilis habitus, per quod intellectus corroboratur & suprà suam naturam elevatus, unà cum objecto, divinâ sc. essentia immediatè conjuncto, & vicem speciei intelligibilis supplente, visionem claram s. beatificam elicit: quam quidem, illis omnibus ad eum modum in actu positis, non potest non elicere, s. specificationem, s. exercitium respicias. Reliquæ quæstiones, quæ de hoc lumine moventur à Scholasticis, v.g *an de absoluta potentia possit videri Deus sine lumine gloriæ? an visio Dei sit connaturalis intellectui lumine gloriæ informato?* multùm quidem obscuritatis, sed parum utilitatis habent.

§. 101. Nos devolvimur ad *objectum*, quod est ipsa essentia Dei immediatè. Non defuerunt olim hæretici, qui statuerunt, beatos, tàm homines, quàm angelos solùm videre quandam eminentem lucem ex substantia divina resultãtem,

& ideò dici, videre Deum, non in se, sed eo modo, quo sol in splendore videtur. Nos contrà asserimus, objectum visionis beatificæ proximum & immediatum esse Deum ipsum per essentiam & substantiam suam, absq; ulla creatura, s. imagine creata, quæ deserviat, tanquàm medium cognitum, s. objectum proximum, in quo reluceat Deus. Probat hanc conclusionem Fides ex *I. Cor. XIII, 12.* ubi nota oppositionem inter visionem specularem ac ænigmaticam, & eam, quæ est à facie ad faciem. Sicut in speculo non video ipsam essentiam rei immediatè, sed aliquod ejus εἴδωλον, simulacrum: sic contrà, ubi desinit adspectus specularis, visio non terminat rei imaginem, hæc enim cum speculo desinit, sed immediatè ipsam essentiam. Aliter verba, juxtà communem sensum, prout super illis naturaliter fertur intellectus humanus, explicari nequeunt. Adde exegesin Paulinam. Qualis est visio Dei, nos cognoscentis, talis est visio beatorum, quâ vident Deum à facie ad faciem. Atqui illa est per essentiam E. &c. Ubi tamen nota, τὸ *sicut* similitudinem hîc quandam, non exactam, æqualitatem significare. Neque enim fieri potest, ut nos Deum ejusq; naturam ita comprehendamus, sicut nos ille cognitos & perspectos habet. *Dices*; Visio faciei & ænigmatica non specie, sed gradibus tantum differunt, tanquàm magis

magis perfectum à minus perfecto. *Resp.* α prout differunt visio imaginis hominis in speculo relucētis, & visio ipsius hominis à facie ad faciem: sic etiam in Deo. Sed specie &c. quia illa est reflexa, hæc v. directa E. &c β reclamat *v. 10.* ubi cognitio specularis dicitur evacuari, destrui, jam v. quicquid aliud perficit, non abolet, sicut lumen majus minus non interimit, sed auget ac perficit, conf. *II. Cor. V, 7.* β *I. Joh. III, 2.* Videre Christum sicut est, quid aliud est, quàm visione terminare ipsius essentiam? Qui videt speciem, vel imaginem alicujus, non sanè videt ipsum, sicuti est, sed sicut videtur, vel apparet. Adde nexum Apostolicum. Quæcunq; visio est causa perfectæ similitudinis cum Deo h. e. consummatæ imaginis divinæ, illa fit, non secundum speciem, sed essentiam. Talis est visio beatifica. E. Ubi tamen 1. quod Johannes dicit de similitudine, intellige non quoad æqualitatem, sed conformitatem. 2. τὸ *Sicut est*, non refer ad modum visionis, quasi, ut Deus infinitus est, sic etiam infinitè beati ipsum sint visuri; sed ad objectū, quod non amplius speciem Dei, sed ipsum Deum per essentiam visuri sint. Natura hanc conclusionem, ne quidem ut possibilem probare potest, quia est mere revelationis, & supernaturalis. Contrà positam veritatem a, nonnulla objici possunt 1. *Exod. XXXIII, 20.* 2. *Joh. I, 18.*

I. Joh. IV, 12. 3. *1 Pet I, 12.* 4. Quicquid non continetur sub objecto intellectus humani, id videre nequit intellectus humanus. Atqui Deus &c. E. Minor probatur, *tùm* ex improportione, quia Deus est infinitus; intellectus v. finitus: *tùm*, quia aliàs naturaliter intellectus possit attingere Deum, cùm naturale sit unicuiq; potentiæ operari circà objectum suum. *Resp.* ad 1. α sermo est de visione in via, quod indicat addita conditio, *& vivet* β quod si tamen ad visionem in patria torquere vis, intelligendus est locus de visione comprehensiva. Ad 2. hi loci *vel* explicandi sunt de visione corporali, *vel* de visione viatorum ex naturalibus viribus petita. Ad 3. non agitur de desiderio rei non habitæ, sed de affectu & voluntate tendendi in rem habitam sine ullo fastidio. Hinc Gregorius *l. XIIX moral. c. 28. Angeli*, inquit, *vident Deum sine fastidio, ideò dicuntur perpetuum videndi desiderium habere, quia nunquam fatigantur videndo.* Deinde: sunt quædam in Deo, quæ angeli non possunt penetrare sine divina revelatione v g. decreta libera. In hæc fertur desiderium Angelicum. Ad 4. α Deus absolutè clauditur sub objecto intellectus creati, quia naturaliter potest aliquo modo cognosci β non sequitur: DEUS clarè videndus non comprehenditur sub latitudine actuum naturalium intellectus. E. intellectus noster non

potest

potest elevari supernaturaliter ad illam claram visionem. Concedimus, Deum clarè videndum excedere capacitatem intellectus humani, atq; ita non esse objectum ejus, ut loquimur, adæquatum, sed improportionatum. Proportionem tamen, s. aptitudinem, quam ad hujusmodi claram visionem non habet intellectus ex se, accipit à lumine gloriæ. Ita Sol est objectum visus corporei. Neq; circà solem alia potentia videndo versari potest, quàm visus. Solem tamen meridie culminãtem directè intueri, & qs comprehendere, facultatem visus corporei intrà limites naturæ concluſam superat. At Deus posset visui s. oculo dotem conferre, per quam longè ultrà connatas vires evecto id præstare facile esset. Quod e usmodi dos foret oculo relato ad intuendum directè fulgidum solis corpus; id lumen gloriæ erit intellectui relato ad Deum clarè videndum. Quod probationem minoris primam attinet, *Resp.* 1. inter potentiam finitam & objectum infinitum non est proportio in latitudine perfectionis, ita ut una sit commensurabilis alteri. Potest tamen esse proportio aliqua in ratione objecti & potentiæ, & hoc est, quod DD. Scholastici distinguunt inter proportionem quantitatis & habitudinis. 2. ex illâ improportione ad summum nihil aliud colligitur, quàm, non posse intellectum elevari ad comprehen-

den-

dendam infinitatem Dei, secus v. ad videndam. In secunda probatione negatur sequela, quia fieri, est, ut intrà latitudinem objecti alicujus potenti sit aliquod ita excellens, ut illud non possit p[o]entia attingere naturalibus viribus, vel sal[t]m non clarè, & perfectè, sicut noster visus corporeus non potest clare intueri solem.

§. 102. Proindè nullas requirit hæc Visio *species*, quæ Deum repræsentent. Discrepant in hac sententia Doctores Scholastici. Nonnulli docent visionem Dei proximè fieri per creatam speciem Dei, prius natura infusam intellectui beatorum; in qua sententia est Aureolus, referente Capreolo *l. IV. dist. 49. qu. 5. a. 2.* Quæ sententia etiam videtur esse Scoti *in IV. dist. 49. qu. 11.* Thomas a. & Thomistæ docent, videri Deum à beatis sine interventu speciei intelligibilis creatæ, intellectui beatorum impressæ, Deo ipso proximè per suam substantiam concurrente. Conclusionem hanc probat Fides *I Cor. XIII, 12, XV, 28.* Confirmat natura. Ubi nulla speciei intelligibilis necessitas, ibi nulla est statuenda. Atqui in Visione beatifica &c. E. &c Major probatur, quia principia citrà necessitatem non sunt multiplicanda. Minor clara est, quia species solùm poni solet, ad supplendam vel absentiam, vel impotentiam objecti, vel, ut objectum materiatum actu intelligibile reddant, vel, id cum intellectu nostro

ſtro uniant. Hìc neutrum eſt neceſſarium. Deus n. qui eſt objectum viſionis beatificæ, & immaterialis eſt, & intimè intellectui creato præſens.

§. 103. Quæritur; *An, qui videt Deum, neceſſariò videat omnia, quæ ſunt in Deo?* Nos dicimus I. Viſio beatifica non infert neceſſariò abſolutam omnium viſionem, quod Thomæ tàm probatum eſt, ut *part. I. q. 13. a. 17.* & ex eo Becanus *p. I. Theol. Schol c. 9. q. 13.* non dubitet aſſerere, beatos progreſſu temporis multa viſuros, quæ non viderũt à principio beatitudinis. Bellarminus quoque docet, ſanctos in Deo non omnia omninò videre, ſed ea tantùm, quæ ad ipſos aliquo modo pertinent. Hinc Thomas *l.c. qv. 12. a. 8.* propoſitionem hanc: Qui vident Deum, illi omnia vident, quæ ſunt in Deo; ſic limitat: Qui Deum eo modo vident, ut eum comprehendant &c. Abſurdum eſt, ſtatuere, beatum Deum videntem, abſolutè omnia videre, quæ ſunt in Deo. Nam α ſi beati ideò vident omnia, quia vident Deum, in quo ſunt omnia; utiq; etiam omnia poterũt, omnia ſcient, ubiq; præſentes erunt, quia vident eum, qui poteſt omnia, qui ſcit omnia, qui eſt ubiq; præſens. β Si beati Deum videntes omnia in eo viderent, tùm uno ſimplici aſpectu in momento omnia præterita, præſentia & futura perfectiſsimè intuerentur, quia in Deo omnia ſunt æqualiter ſine ulla ſucceſsione vel mutatione.

II. Beati

II. Beati vident in essentia divina, quicquid formaliter in ea est, s. cum ea reâpse & actu idem est, attributa sc. omnia divina, & personas divinas. Nam posito, quod beati essentiam divinam clarè videant, videre eos quoq; necesse erit, quæcunq; actu ab essentia non distinguuntur, & quidem simplici & indistinctâ visione, s. conceptu. Secus autem quod alia attinet. Non itaq; necesse erit, ut beati in Deo, s. in verbo, uti cognitio intuitiva juxtà ductum Augustini describitur, creaturas videant, aut quæcunq; à libera Dei voluntate pendent, vel possibilia omnia & futura omnia. Angeli in cœlis semper quidem vident faciem Patris, qui in cœlis est. *Matth. XVIII, 10.* diem tamen & horam consummationis hujus seculi nesciunt *Matth. XXIV, 36 Marc. XIII, 32* Etiamsi igitur totam essentiam divinam ita videant, ut nihil, quod de intrinseca ejus perfectione est, videntes lateat; non tamen omnia vident, quæ quoquo modo ab ea pendent, & ad ejus perfectionem non pertinent

§. 104. Proindè I. Visio beatifica terminatur in omnia attributa divina, quæ in Deo sunt formaliter, uno eodemq; indistincto cõceptu. Probat *Fides.* Nam videbimus Deum, prout visi sumus ab ipso, & sicuti est. Hoc autem est videre Deum sicuti est, videre in DEO totam illam perfectionem, quæ formaliter & essentialiter inclu-

includitur in esse ejus, ut Deus est, s. quæ nostro modo intelligendi constituit ipsum in esse DEI: hujusmodi autem est omnis perfectio simpliciter simplex formaliter in eo existens. Quare sicut impossibile est, intuitivè videre naturam hominis, ut humana est, non videndo essentialia prædicata ejus usq; ad ultimam differentiam, ita impossibile est, videre divinitatem, ut divinitas est, non videndo omnem ejus perfectionem essentialem. Probat *Natura.* Nam viso DEO vel videtur in illo aliquod attributum essentiale, vel nullum. Non hoc; quia sic nihil de Deo, adeoq; nec Deus ipse videretur. Si prio; non est major ratio de uno, quàm de alio, quia omnia æq; sunt de essentia Dei. II. Visio beatifica terminatur in tres personas divinitatis. Probat Fides *I. Cor. XIII, 12.* ex quibus verbis intelligitur, Visionem intuitivam respondere speculari supernaturali, s. fidei, & ea esse clarè videnda in Deo, quæ in hac vita creduntur. *Dices*; Visâ essentiâ, videntur Pater, Filius & Spir. S. ut sunt unus Deus, non v. secundum characteres personales. *Resp.* hâc ratione nec Pater, nec Filius viderentur. Nam quomodo potest videri constitutū, quando non videtur forma constituens? Probat Natura: Nam essentia & relatio ita sunt inter se connexæ, ut essentia petat terminari per relationes: ergò visâ essentiâ secundum omnia

præ-

prædicata essentialia, simul videntur relationes. Nam unum ex his prædicatis essentialibus est, quod illa essentia sit infinita, & ita fœcunda, ut postulet communicari tribus. Undè, sicut non potest videri persona, quin videatur incommunicabilis, sic non potest videri illa natura, quin videatur communicabilis tribus personis, & in specie his tribus, quia naturâ suâ non est aliis communicabilis: illa a. communicabilitas est omninò actualis in tali naturâ. Ergò cum visione talis naturæ necessariò est conjuncta visio trium personarum, quia illa communicabilitas non potest concipi sine suo termino.

§. 105. III. Visio beatifica non tendit in actu voluntatis divinæ liberos, quia non sunt reâpse idem cum essentia divina: nam ad ea, quæ extrà divinitatem sunt, voluntas divina liberè terminatur. Libera quidem Dei decreta quoad entitatem realem identificantur cum essentia & attributis Dei, interim tamen præter illam entitatem realem includūt aliquid aliud, nempè, tùm liberam terminationem ad hanc vel illam creaturam in particulari producendam vel gubernandam: tùm respectum rationis ad eandem creaturam, qui resultat ex eo, quod essentia divina liberè ad hanc vel illam creaturam per modum volitionis terminatur. Beati igitur, qui Deum vident, simul vident decreta Dei, quoad realem

realem entitatem, quia sic nihil aliud sunt, quam essentia Dei, non tamen vident liberam terminationem, & respectum ad creaturam in particulari. Sed præstat hic 7ª mirari, oculus non vidit &c.

IV. Visioni beatificæ non objiciuntur necessariò creaturæ, quæ sunt in Deo. Non enim sunt in Deo formaliter, sed eminenter, tanquàm in causante. Interim non disputamus hic de eo, quid Deus beatis possit ac velit revelare; sed quid ad beatificam visionem opus sit, ut perfectè satiet ac expleat appetitum, nec alia ullà cum anxietate desiderari possint.

§. 106. Quoad *modum*, negamus, Visionem beatorum proprie loquendo fore *comprehensivam*. Dico; *propriè loquendo*. Nam vox comprehensionis nonnunquam sumitur latè, pro eâ cognitione, quâ essentia Dei & quicquid formaliter est in ea, cognoscitur. Hoc modo beati à Doctoribus Scholasticis vocantur comprehensores, & à viatoribus hujus vitæ distinguuntur. Quando autem cognitio comprehensiva sumitur strictè, pro tali cognitione, quæ objectum totum totaliter exhaurit, seu, quæ perfectionem objecti cogniti, quæ infinita est, perfectione suâ adæquat, tunc negamus, visionem beatificam esse comprehensivam: ita enim ipse semetipsum Deus solus comprehendit.

§ 107. Affirmamus, Visionem beatificam fore 1. *intellectualem*. Sic Patrum non pauci, Scholastici

verò omnes docent. Probat Fides α in illis locis, in quibus Angeli dicuntur videre faciem Dei *Matth. XVIII, 10.* Nos a. erimus ἰσάγγελοι *Luc. XX, 36.* Ergò sicut Angeli vident, ita & nos visuri sumus. Sed non oculis corporis, verùm mentis &c. β in illis locis, in quibus ad visionem hanc mundities & sanctimonia cordis requiritur *Matth. V, 8. Hebr. XII, 14.* Nempè, sicut oculos, ut colores rectè cernant, puros & sine lemis esse oportet: ita quoq; decet cor purum esse, & sanctam mentem, quæ Deum aliquando sit visura. γ in illis locis, in quibus Deus dicitur invisibilis, puta, oculis corporeis *Joh. I, 18. I. Tim. I, 17. I. Tim. VI, 16. I. Joh. IV, 2.* Probat Natura. Nulla potentia visiva ferri potest extrà suum subjectum. Jam objectum potentiæ visivæ est corpus lucidum vel coloratum, DEUS a. non est tale corpus, atq; adeò nec corporei visus objectum. Potentia itaq; videndi oculorum, quia objectum suum, quod secundum totam suam latitudinem, ratione lucidi & colorati circumscribitur, excedere nequit, ad spiritum videndum extendi non potest. *Dices*, cur ergò scriptura usurpat terminum visionis? Resp. Propter dignitatem & certitudinem cognitionis, quæ per sensum visus fit, τὸ *videre* analogicè ad ipsam quoq; intellectus cognitionem porrigitur. Non possumus tamen pertinaciter negare, per potentiam Dei absolutam beatorum oculos ita glorificari, ac per lu-

men

men supernaturale ita evehi posse, ut ad ipsam divinæ essentiæ visionem pertingant. Vid. Swaresium *Tom. II. disp. 30. art. 11. n. 2.* Becanum *p. I. Theol. Schol. c. 9. q. 6.* II. *intuitivam*, sicut § *101.* & *102.* est probatum III. *simplicem* & *incomplexam*. Licet enim homini sit naturale per compositionem & discursum cognoscere, tamen supernaturaliter elevari potest ad altiorem cognoscendi modum. IV. *apprehensivam*, non judicativam. Non n. judicamus, nisi componendo & unum alteri tribuendo. Sed, quid disputamus de modo visionis beatificæ? Infantes sumus, qui in his vix balbutire possumus. Præstat modi hujus decisionem futuræ experientiæ reservare, quàm odiosè & morosè de ea contendere. Sic video decidere fœcundissimum, at modestissimum Augustini ingenium *lib. XX. de C. D. c. 29.*

CAPUT IX.
DE
Vitâ DEI.

§. 108. HActenus consideravimus *essentiam* Dei, *quâ existit*, nunc videndum est de eâdem, *prout est actuosa*. Non tamen sic concipienda est in Deo essentia & vita, sicut in creaturis, in quibus discriminantur, sed tantum, quoad distinctè concipitur essentia & vita DEI à creato intellectu.

§. 109. *Vita Dei* dicitur *vel* substantialiter, *vel* effective. *Substantialiter* iterum *vel* essentialiter, *vel* personaliter. *Essentialiter* accepta vita divina est communis omnibus Deitatis personis. *Personaliter* sumta refertur ad certam personam deitatis, ut *I. Joh. II.* filius Dei dicitur Vita. Licet enim Pater & Spiritus S. quoq; vita sint, tamen *h. l.* personam secundam Deitatis intelligendam esse appareat, *tùm* ex *vers. præced.* ubi vocatur verbum vitæ: *tùm* ex addito, quia dicitur, vita esse apud Patrem, & nobis revelata. *Effectivè* Deus est vita, quatenus est fons, s. causa vitæ *Ps. XXXVI, 10* & vivificat creaturas, largiens vitam, *vel* naturalem *Actor. XVII, 28. Deut. XXX, 20. vel* spiritualem *Os. I, 10. II. Cor. IV, 11. Gal. II, 19. Eph. IV, 18. vel* gloriosam *Joh. XIV, 9. I. Joh. I, 2.* Hic agitur de vita substantiali essentialiter spectatâ.

§. 110. Vita DEI essentialiter spectata est, quâ actu primo vivit, s. est modus, quo essentia divina in & per se est actuosa. Probat hanc Vitam Fides *Deut. XXXII, 40. Ezech. XXXIII, 11. Dan. IV, 24. Joh. I, 4.* Confirmant Rationes, quarum *prima* petitur *à signo:* Quod simpliciter in quibusdam creaturis est perfectio, à Deo proveniens, id multò magis ipsi Deo competit. Vita in genere &c. E. *secunda ab effectu*: Quicunq; exercet actus vitales intelligendi, volendi &c. ille vivit. Deus &c. E. &c.

§. 111. Vitæ divinæ modi s. proprietates vel sunt eædem,

eædem cum modis essentiæ, & distinguuntur tantum appellationibus ad vitæ respectum accommodatis: vel sunt aliæ.

§. 112 Eædem sunt spiritualitas, impatibilitas, & immortalitas. Quia vita & essentia Dei non nisi mentis conceptu differunt, ideò proprietates eædem, quæ Deo ratione essentiæ tribuuntur, ad vitam ejus quoq; referendæ sunt. Quia enim essentia Dei est simplicissima & infinita, ideò vita Dei est talis. Hoc tantùm est discriminis, quod eæ proprietates ratione vitæ novum nomen sortiantur. Nam simplicitas Dei ratione essentiæ sic dicta, dicitur respectu vitæ spiritualitas: immutabilitas ratione vitæ dicitur impatibilitas: & æternitas eodem respectu dicitur immortalitas.

§. 113. *Spiritualitas* Dei est, quâ modo eminentiæ singulari molis corporeæ, omnisq; compositionis expers est. Probat eam Fides *Joh. IV, 24. II. Cor. III, 17.* Probat Natura, eo ipso dum asserit Dei immaterialitatem. Est autem vox Spiritus in Scriptura Deo applicata, non unius significationis. Sumitur *vel essentialiter*, prout spiritualitas omnibus tribus Deitatis personis est communis: *vel hypostaticè*, & quoad characterem personalem tertiæ in SS. Trinitate personæ, quæ, præterquàm, quod est spiritualis essentiæ cum Patre & Filio, insuper vocatur spiritus, quia à Patre & Filio spirata spirando efficacissimè operatur.

§. 114. Proinde I. Deus est incorporeus. Probat Fides *Luc.* XXIV, 24. Confirmat Natura. Si enim Deus est corporeus, vel est ipsum hoc universum, vel pars ejus, vel corpus aliquod extrà illud. Non illud; quis enim dicat, Deum etiam esse id, quod pedibus calcatur? Non istud; sic n. ignobilius quid esset ipso mundo. Nec hoc; quia ibi nullum est corpus, ut in Physicis probatur. *Dices* 1. Scriptura Deo membra corporea tribuit. 2. Patres nonnulli, inprimis Tertullianus, Deum nominant corpus. *Resp.* ad 1. α Cùm homines simus, humano more nobis loquitur Scriptura, & per corporalia docet spiritualia, & per visibilia demonstrat invisibilia, inquit Hilarius *l. VI. de Trinit.* & *l. XII.* Idcircò Deus ipse corporalium rerum modo loquitur, ut ad excellentiam divinarum rerum per corporalia nos attollat. Fieri enim non potest, ut ad divina intelligenda perveniat homo, nisi familiaribꝰ quibusdam aut domesticis exemplis sensim ad ea conscendat, figurisq; materialibus, & formis sensibilibus subvehatur tanquàm quibusdam scalis & gradibus ad eum, qui formæ & figuræ prorsus est expers, qui mole & tempore vacat. β. Fit hoc ob similitudinem effectuum, quos creaturæ non nisi membrorum illorum adminiculo producere solent. Hinc Damascenus *l. I. de O. F. c. 14.* ea, quæ de Deo corporaliter dicũtur, vocat εἰκόνας, τύπους, σύμβολα divinarum operationum. Sic Oculi benevo-

nevolentiæ & favoris *Deut.* XXXII,10. *Ps.* XVII,8. aures exauditionis vel auxilii *Psalm.* XXXIV,16. os voluntatis *Es.* XL, 5. odoratus susceptionis. *Gen.* VIII,21. Facies apparitionis *Ps.* XXC,4. Manus efficacis operationis, potentiæ, protectionis, liberalitatis, perditionis *Job.* X,8. *Ps* XXXI,6. CXLV,16. *Hebr.* X,31. Dextera auxilii *Exod.* XV,6. &c. Symbolū est. Ad 2. Patrum phrasis est catachrestica. Duplexa est catachresis Patrū in voce corporis. Prima est, quâ corpus opponitur umbræ, phantasmati aut nihilo, & significat id, quod reverâ est, sicut Tertullianus *l. I. de carn. Christi c. 11.* suimet agit interpretem, dum; omne quod est, inquit, corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est. Hoc respectu omnia entia actualia possunt dici corpora. Tertullianus *l c.* & *ad Praxeam.* in hoc catachrestico significatu Deum vocat corpus, quia reverâ existit, uti Augustinus hanc Tertulliani phrasin explicat *lib. de Hæret. c.* XXVI. Secunda est, quâ corpus dicitur à Patribus, quod aliquo modo est compositum, sicut Augustinus *Tom II de Sp & anim. c. 8.* animam vocat corpoream, non, quod habeat membra corporea, sed, quia est composita ex potentia & actu. Et *Epist.* CXV. ut & *l.* XI. *de C.D. c. 28.* Tertullianum *d. l.* secutus, Angelos appellat corporeos, h. e. compositos. Et hoc respectu catachreseos Deus non potest dici corpus. Quia autem postea Anthropomorphitæ abusi sunt hisce

Patrum testimonius ad errorem suum palliandum, quo contendebant, Deum habere partes corporeas proprie dictas, ideò hæ Patrum phrases excusari quidem debent, & ex ipsorum sensu explicari, nequaquam tamen ad imitationem trahi.

§ 115. II. Deus non potest sensibus, vel internis, vel externis percipi naturaliter, quia est invisibilis, intactilis & inimaginabilis *I. Tim. VI. Col. I.* Contrà ejus invisibilitatem objici possunt duo (1) quod in V. T. in humana specie apparuit *Genes.* XVIII, 1, XXXII, 24. *Jos.* VI, 2. *Dan.* VII, 10. (2) quod in N. T. dicitur apparuisse & manifestatus esse in carne. *Resp* ad 1. *Adsumtio corporis* potest fieri triplici modo 1. *per informationem*, sicut anima nostra illud resumet in resurrectione mortuorum 2. *per unionem hypostaticam*, sicut persona λόγος adsumsit corpus humanum. 3. *per unionem accidentalem*, sicut Angeli. Et hæc Unio potest rursus fieri dupliciter. *Vel* enim Angelus simpliciter est in corpore aliquo, & per illud loquitur aut agit quidquam, sicut Diabolus per serpentem locutus est, cùm deciperet Evam, hodieq; loquitur in obsessis; *vel* ita inest corpori, ut per illud, tanquàm suum appareat, sicut sæpe Angeli in corporibus apparuerunt. Et hâc ratione Christus in V. T. apparuit in forma humana & membris corporeis, non, ut in parte suæ personæ divinæ, quia talem formam adsumsit per unionem tantùm accidentariam,

riam, ſ. per aſſiſtentiam, quâ tali formæ unitus fuit, tanquàm motor rei mobili, eum in finem, ut appa-rere poſſet hominibus, ſicut & Angeli formas ac corpora humana, tanquàm veſtes, aſſumſerunt, & viciſſim depoſuerunt, ut Auguſtin9 *l. de agon. Chriſti c.* XXII. loquitur. Præterea his apparitionibus voluit futuræ ſuæ incarnationis & à ſe aſſumendæ humanitatis præludium, typum & ſymbolum aliquod præbere, ut Irenæus *l. IV. adverſ. hæreſ. cap. 37.* & Tertullianus *l. III. adverſ. Marcionem* & *l. de carn. Chriſti* tradunt. Ad 2. Deus eſt manifeſtatus & viſibilis factus, non in eſſentia ſua divina, ſed in carne aſſumta, non accidentarie, ſed hypoſtaticè, ita ut poſt incarnationem aſſumta caro ad integritatem perſonæ filii Dei pertineat. Factus eſt viſibilis non in eſſentia divina, ſed in carne perſonaliter ſibi unitâ.

§. 116. Vita Dei ſic eſt ſpiritualis, ut ſit ipſa eſſentia Dei, & Deus ita eſt ſpiritus, ut ſimul ſit ſpirituum cæterorum pater. Angeli quidem etiam ſunt ſpiritus *Ebr. I, 4* itemq; animæ *Pſ.* CXLVI, 4. *Eccleſ.* XII, 7. ſunt autem hi ſpiritus diſtincti, ut ab eſſentia ſ. forma, ſic à vita ſua: In Deo autem non ſic. Proindè omnis imperfectio, quæ finitis ſpiritibus ineſt, à Deo eſt removenda, & ſollicitè atq; accuratè concipienda eſt vita Dei non ut actus accedens ad eſſentiam ejus, unitatis inſtar, quæ alteri unitati addita facit binarium: ſed ut actus fluens

ab essentia promovente se ad sui perfectionem, quemadmodum fluvius suo fluxu se promovet in longitudinem.

§. 117. *Impatibilitas* est modus consequens vitam Dei, quo ille est omnis passionis expers. Passionem hic accipimus, non pro qualibet receptione actionis. Nam hoc respectu potius essentiæ divinæ attributum esset: sed pro sensu læsionis realis, qui in Deum propter vitam spiritualem non cadit. *Dices* 1. blasphemari est pati. Deus ab impiis blasphematur. 2. *I. Pet. IV.* Deus passus est carne. *Resp.* ad 1. Passio hæc, cum Deus blasphematur, non est transmutativa, quæ realem efficiat mutationem in objecto, sed intentionalis, quâ aliquid determinat actionem, ut cum celum intueor, celum dicitur pati terminativè, non subjectivè. Idem judicium est de Deo, quatenus est terminus & objectum blasphemiæ, ac evomentium in ipsum blasphemias. Ad 2. Non in Deitate, sed in carne assumtâ. Sanguis, passio &c. sunt propria Deo filio, non per essentiam, sed per ἰδιωμάτων κοινωνίαν. Hinc discriminandæ sunt hæ propositiones. *DEUS est passus*: & *Deitas est passa*. Eleganter Cyrillus *Tom. II. p. 74. Etsi*, inquit, *proprias sui corporis passiones Deus verbum sibi appropriat, inq; seipsum transfert, ipse tamen idem in terminis impassibilitatis permãsit*. Instârunt olim Tubingenses, urgendo dicta quorundam Patrum, quod in abstra-

abstracto dixerint, Deitatem esse passam, item; vitam in ligno esse mortuam. Unde ipsi in primo gradu communi idiom. non dubitârunt asseverare, Christum etiam secundùm divinam naturam passum esse. Sed dicimus (1) phrasis illa; *Deitas est passa*, à Patribus antè orta certamina Eutychiana est usurpata, & quidem minus diligenter ac proprie, ut loquitur Chemnitius *lib. de duab. Nat. Christi c. 15.* Hodie autem à tali abusiva phrasi meritò abstinemus, tùm quia Scriptura nullibi eam usurpat; tùm, ne præbeamus Adversariis ansam calumniandi, & Eutychianismi nos insimulandi. Graviter quoq; Apologia F. C. *c. IV. p 69.* censet, heterodoxam esse enunciationem istam; *Christus secundum utramq; naturam est passus.* Cujus phraseos heterodoxia patet α *ex definitione proprietatis:* Proprietas uni, soli rei competit. Jam autem ipsimet concedunt, humanitatis proprium esse pati. E. Christus secùdum solam humanam naturam passus est. β *ex natura primi generis communic: idiom:* quod particulam distinctivam enunciat de ea natura, quæ recipit attributum illud de tota persona enunciatum, tanquàm suam proprietatem. Jam divinitas non recipit passionem. Deus enim carne patitur. Quare Christus secundum divinitatem non non est passus. γ *ex inductione aliarum propositionum* ad hoc genus pertinentium. Sicut enim non possum dicere; Christus est ἀπάτωρ secundum utramq;

utramq; naturam; est minor patre juxtà utramq; naturam. Sed tantùm hoc rectè dicitur; Christus est ἀπάτωρ, est minor patre juxtà humanitatem. Ita quoq; non recte dico; Christus secundum utramq; naturam est passus Sed ita dicendum est: Christus juxtà humanitatem passus est. (2) Dextrè est interpretanda phrasis Patrum, hoc sensu, deitatem, sc. in concreto esse passam, secundum Scholasticorum imitationem, definientium primum gradum communic. idiom. quod secundum illum propria alterius naturæ prædicentur de natura in concreto. Deitas autem in concreto nihil aliud est, quàm Deus: atq; sic vox DEUS personaliter sumenda, non essentialiter. (3) Hodiè autem propter calumniam adversariorum, Theopaschitarum errorem nobis adscribentium non in imitationem trahendus est hic loquendi modus, præsertim, cùm significantissimè totum hoc mysterium Spiritus S. hâc phrasi; *Deus est passus:* eloçutus fuerit. Insuper hæc propositio intelligatur, non verbaliter, sed realiter, & caveatur ἀλλοίωσις Zwinglii, quâ diriguntur naturæ. Nam realiter Deum esse passum, demonstrat 1. identitas hypostaseos, quâ Filius Dei carni assumtæ subsistentiam suam communicavit: pati autem caro non potest, nisi subsistat. 2. appropriatio carnis & proprietatum ejus. Quemadmodum enim λόγος sibi appropriavit carnem adsumtam & sanguinem, ut

pro-

propterea hic sanguis dicatur ἴδιος Dei sanguis. *Act.* XX, 28. *Ebr.* IX, 12, XIII, 12. item sanguis filii Dei *I. Joh. I, 7.* ita quoq; appropriavit sibi proprietates carnis, sic ut Deus dicatur concipi, nasci, educari, ambulare, sitire, dormire, pati, mori &c. 3. communicatio virtutis meritoriæ & satisfactoriæ carni à λόγῳ facta. Nisi enim Deus passus esset pro nobis, non possemus hâc passione redimi. (4) Altera propositio: *Vita in ligno moritur;* faciliorem habet explicationem, & conformis est scripturæ. Intelligitur enim non vita Dei essentialiter, sed personaliter sic dicta, Vita Dei Patris, quæ est periphrasis filii Dei *I. Joh. I, 2. V, 20.*

§. 118. *Immortalitas* est modus vitæ divinæ, secundum quem nullo modo potest desinere & mori. Est fidei *Dan.* VI, 26. I. *Pet.* I, 23. I. *Tim.* VI, 16. & Naturæ. Undè Aristoteles *l. II. de cælo c 3.* ait: Θεοῦ ἐνέργεια ἀθανασία. τοῦτο δὲ ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος. *Dices;* etiam Angeli & animæ humanæ per naturam sunt immortales. *Resp.* α Accuratius dicerem, Angelos *naturaliter* esse immortales, quàm *per naturam.* β Immortale per naturam, aliquid dicitur duobus modis, *vel simpliciter*, quod nullo prorsus modo potest desinere: *vel secundum quid*, quod naturaliter quidem s. vi naturæ suæ non potest desinere, s. juxtà potentiam naturalem, attamen potest juxtà potentiam obedientialem, h.e. per respectum ad omnipotentiam & liberam voluntatem

tem Dei. Priori modo solus Deus est immortalis per naturam I. *Tim.* VI, 16. angeli autem & animæ humanæ, non per naturam, sed χάριτι καὶ τῇ δωρεᾷ gratiâ scil. creationis ac conservationis, & dono sunt immortales, ut Justinus *quæst.* XIII. Athanasius *in orat. cont. idola p. 30.* & Damascenus *lib.* II. *de O. F. c. 3.* loquuntur. Et huc etiam Synodus Oecumenica VI. respexit, cum *Act.* XI. Angelos & Animas rationales immortales esse dicit, non natura, sed gratia. Et Ratio est, quia ceperunt, ut inquit Damascenus *l. c.* Omne autem quod initio, idem etiam fine constat aliquo & termino κατὰ φύσιν. Angeli & animæ à Deo tanquam à primo ente dependent, ideoq; habent potentiam obedientialem naturæ suæ consentaneam, quâ possunt Dei nutu deponi ab illa entitate, in qua sunt ab illo constitutæ, ut loquitur Scaliger *exerc. CCCVII. sect. 20.* ubi addit: *Tametsi sunt entia absoluta à subjecto,* (ita ut non inhæreant subjecto,) *& termino,* (ita ut non sint relativa,) *tamen non sunt absoluta à causa: sunt igitur per aliud, & ab alio.* At omne dependens, ab eo, à quo dependet, si hoc est voluntarium principium, mutari potest. Hinc immortalitas Angelorum Platoni *in Timæo*, dicitur ἐπίκτητος, s. *acquisita. Dii,* inquit, s. genii, *quorum opifex ego* (summus Deus,) *paterq́, naturâ quidem dissolubiles sunt: me autem sic volente, indissolubiles.* Posteriore autem modo & Angeli & animæ humanæ per naturam

turam sunt immortales, quia intrà se non habent principium corruptionis, nec possunt ab ulla vi creata in nihilum redigi *Matth.* X, 28. Annihilatio enim hæc non est nisi infinitæ potentiæ.

CAPUT X.

De

Intellectu, Scientia & Sapientia Dei.

§. 119. PErgimus nunc ad modos, qui ex vita Dei proprie deducuntur, ut sunt, Intellectus, Voluntas & Potentia agendi. Hisce enim suis qs. facultatibus actuosa est vita Dei. Nam, sicut in rebus intellectualibus creatis duas facultates intelligimus, quæ proprios actus internæ vitæ eliciant, sc. intellectum & voluntatem, quibus additur aliqua potentia, operativa extrà ipsammet substantiam intellectualem. Sic etiam in Deo concipimus, modo tamen eminentissimo ac singularissimo.

§. 120. Intellectus, scientia & sapientia Dei essentialis sunt idem in Deo. Non enim intelligit Deus per modum potentiæ aut habitûs, sed actûs puri, ideoq; scientia & sapientia ejus est ipsa actualis intellectio. Ceterum, quod vocem sapientiæ attinet, notanda hic est homonymia. *Sapientia Dei* sumitur (1) *essentialiter*, prout est proprietas Dei, secundum quam est omnisapiens (2) *hypostaticè*, prout designat filiũ, qui est personalis sapientia Dei *Prov.* 1, 20. VIII, 1, (3) *metonymicè*, prout applicatur

ad

ad creaturas, & quidem α ad ordinem sapientissimum in creaturis I. *Cor.* I, 21. β ad doctrinam celestem, à quâ dicimur sapientes *Deut.* IV, 6. *Ps.* XIX, 3. γ καὶ ἐξοχὴν, ad Evangelium. I. *Cor.* II, 16. Hic consideramus sapientiam DEI essentialiter sic dictam.

§. 121. Scientiam s. intellectualitatem divinam probat Fides *Joh.* XXI, 17. *Hebr.* IV, 13. I. *Joh.* III, 20. *Rom.* XVI, 27. Confirmat Natura, *tùm à priori*, & quidem (1) *ex spiritualitate Dei.* Omnis enim substantia spiritualis & immaterialis est intelligens, & quo magis est immaterialis, eò magis est intelligens. *Immaterialitas*, inquit Thomas *p. I. q. 14. a. 1. alicujus rei est ratio, quod sit cognoscitiva, & juxtà gradum immaterialitatis est gradus cognitionis.* Ideò Deus, sicut est singularissimè immaterialis, ita quoque singularissime intellectualis erit. (2) *ex perfectione divina.* Si intelligentiâ præditum esse, perfectio quæpiam est, imò inter omnes creaturarum perfectiones prima, maximè illa Deo competet: nihil enim tale in creaturis esse potest, quod non longè excellentius in ipso sit. Nonne summa est imperfectio, Deum esse vivens brutum? *tùm à posteriori*, ab effectis: Nullus effectus toto genere est nobilior suâ causâ. Ast Angeli & homines sunt effectus Dei: proindè, ut Angeli & homines, ita etiam Deus maximè erit intellectualis. quinimò, Deus est causa ordinis hujus pulcherrimi: ergò non potest

non

non esse sapientissimus, & proindè intellectualis, cùm hic operandi modus sit proprius naturæ intellectualis.

§. 122. Intellectus seu *scientia divina* est proprietas Dei viventis, secundum quam omnia & singula entia, realia & rationis distincte & evidenter cognoscit. Hæc descriptio continet, *tùm* objectum, *tùm* modum scientiæ divinæ, à quo distinctiones ejusdem pendent.

§. 123. *Objectum* scientiæ divinæ est *vel* primarium, *vel* secundarium. Quamvis enim Deus unico & simplici actu omnia intelligat, tamen ordo quidam in objectis servatur respectu nostri, & quoad nostrum concipiendi modum.

§. 124. *Primarium* scientiæ divinæ objectum est ipse Deus, & quæ intrà eum sunt. Cognoscit enim suam essentiam, hypostases & relationes *Ioh.* III, 27. I. *Cor.* II, 10 Si seipsum ignoraret Deus, non esset summè perfectus. Quin! si creatura cognoscit Deum, ipse multò magis se ipsum cognoscet. Imò, sicut Deus res est summè immaterialis, ità est objectum maximè intelligibile in actu; ergò per aliquam scientiam est scibile, & quidem maximè per suam, quia nulla potest ei esse magis proportionata, nec ullum objectum potest illi scientiæ esse magis proprium.

§. 125. *Secundarium* objectum sunt omnia alia, quæ sunt extrà Deum. *I. Sam. XVI, 7. I. Reg. VIII, 39.*

Job. XXVIII, 28. Pſ. XCIV, 11. CXXXIX, 1. 6. Joh. III, 20. Act. XVIII, 15. Huc pertinent deſcriptiones omniſcientiæ Dei per negationē *Job.* XLII, 2. *Pſ.* CXXXIX, 45. *Ebr.* IV, 13. item, deſcriptiones factæ per ἀνθρωποπάθειαν II. *Chron.* XVI, 9. *Pſ.* XI, 7. Probatur ex natura: Deus intelligit ſe perfectiſsimè. E. intelligit ſuam virtutem, & ea ad quæ hæc virtus ſe extendere poteſt. Jam verò Virtus divina ſe extendit ad omnia, quæ ſunt extrà Deum, tùm creationis, tùm conſervationis & cooperationis ratione. *Dices* 1. infinitum numero non poteſt cognoſci 2. inter res materiales & intellectum Dei immaterialem nulla datur proportio. *Reſp.* ad 1. verum eſt de intellectu creato & finito. Ad 2. eàdem ratione ſequeretur, Deum non cognoſcere accidentia, quia ipſe eſt ſimpliciſſima ſubſtantia. Proportio illa tantùm requirit qualemcunq; ſimilitudinem, non eandem entitatis ſpeciem. Notandum autem eſt ex Thoma in *de potent. qu. III, art. 16. ad 23.* Phraſin hanc: *Deus intelligit aliquid extrà ſe*; eſſe æquivocam. *Vel* enim τὸ *extrà* refertur ad objectum cognitum, & ſenſus eſt: Deus cognoſcit ea, quæ ſunt extrà ipſum. Et ſic veriſſima eſt. *Vel* ly *extrà* refertur ad modum cognoſcendi in ſubjecto cognoſcente, ut ſenſus ſit: Deus, quæcunq; intuetur, ea intuetur extrà ſe, h. e. non in ſe. Atq; ſic falſa eſt: omnia enim Deus per eſſentiam ſuam cognoſcit.

§. 126.

§. 126. Proindè I. Deus novit omnia possibilia, etiam non futura, si illa sint possibilia per potentiam DEI ordinariam, s. per extraordinariam. Novit autem ex hypothesi non-futura contingentia, nempè, si hæ vel illæ circumstantiæ ponerentur. Sic noverat, possibilem esse traditionem Davidis in manum Saulis, sub hâc conditione, nisi David fugeret ex urbe I. *Sam.* XXIII, §. 16. Ita Christus novit cives Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos fuisse, si tanta ibi miracula facta fuissent *Matth.* XI, 21.

§ 127. II. Entia possibilia actu existitura videt Deus secundum omnia tempora, vel, ut à condito mundo jam existiterunt, vel ut adhuc existunt, vel ut futura sunt. *Ebr.* IV, 3. Entium possibilium, quæ actu existere possunt, tria sunt genera: Alia puro Dei actu, s. immediatè existunt; alia mediantibus creaturis, vel per ipsas, vel ab ipsis sunt; alia ipse Deus de actibus creaturarum vel sibi, vel actibus creaturarum convenienter facit. Omnia hæc objiciuntur scientiæ divinæ.

§. 128. III. Etiam futura novit, non tantùm quæ sunt necessaria, sed etiam futura contingentia, eaq; videt, non tantùm in causarum incunabulis, sed etiam in propria natura. Cum a. contingentia spectentur, tùm quoad rem, tùm, quoad rei modum, utroq; respectu Deus cogno-

scit futura contingentia secundum omnes circumstantias, quibus futura sunt *Ps.* CXXXIX, 2. 3. Qui enim cognoscit se adæquate, is quoq; cognoscit potentiam suam, quâ potest creare & conservare res quasvis secundum earum naturam. Deus &c E. Item; Qui concurrit cum singulis actibus creaturarum, iisq; largitur essentiam, is cognoscit etiam objectum, h. e. actus creaturarum, ad quos concurrit. Deus &c E. &c.

§. 129. IV. Non tantum novit universalia, sed etiam singularia. Ideò Deus dicitur, omnes capillos capitis nostri numerasse, h. e. distinctè & infallibiliter nosse *Luc.* XII, 17. *Dices*; singularia sunt ἄπειρα. *Resp* non Deo, sed creaturis.

§. 130. V. Novit summa & ima, excellentia & vilia *Luc* XII, 17. *Matth.* X, 29. Nec sequitur, divinum intellectum vilescere ex intellectione rerum vilium. Si enim non est despicabilis rerum vilium creatio & conservatio, neq; earundem cognitio Deo erit despicatui. Quinimò, nulla res in se considerata est vilis, sed tantùm comparativè, quomodo omnes res in collatione ad Deum dicendæ essent viles & indignæ cognitione Dei. Deindè, cùm intellectum creatum non mutet, aut ignobilem reddat, rei etiam vilissimæ cognitio, multò minus de intellectu divino hoc statuendum est. Proindè cum mica salis accipi debent verba Hieronymi, *in cap. I. Habac.*

ita

ita scribentis: *Absurdum est, ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat, per singula momenta quot nascantur pulices, quotq; moriantur.* Hæc verba aliter salvari non possunt, quàm, si statuatur, Hieronymum hæc proferre κατὰ λόγον συγκαταβάσεως, deq; certo gradu notitiæ, & quidem practicæ. Sicut & Paulus ait: *Nunquid de bobus Deo cura est?* h. e. Deus non curat boves, sc. eo gradu curæ, quo curat homines. I. *Cor.* IX. Quod ipse Hieronymus satis declarat sequentibus verbis: *Non sumus tàm fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus ad ima distrahimus, in nosmetipsos injuriosi simus, eandem rationabilium & irrationabilium providentiam esse dicentes.* Atq; ita intelligunt etiam Hieronymum Hugo de S Vict. in *summ. sent. tract. I. c. 1.* Lombardus *l. I. dist. 36. art. 4.* Swaretz *l. III. de attr div, c. 3. n. 4.*

§. 131. VI. Novit substantias & accidentia *Ebr.* IV, 13. *Act.* XV, 18. Nam omne ens creatum aut est substantia, aut accidens. Atqui Deus novit omne ens creatum. E. &c.

§. 132. VII. & in specie novit omnes quantitates, relationes, actiones, passiones, earumq; circumstantias. Ita divinæ providentiæ est, cuilibet tribuere suam quantitatem *Matth.* VI, 27. investigat & cognoscit nos ratione qualitatum *Ps.* CXXXIX, 1. *Ebr.* IV, 13. I. *Joh.* I, 5. novit etiam actiones nostras, cogitata *Gen.* VI, 1. *Ps.* XLIX, 11.

Jer. XVIII, 23. dicta & facta *Jer.* XVI, 12. passiones *Gen.* XXXI, 12. *Ps.* LVI, 7. situm *Ps.* CXXXIX, 2. existentiam in loco omni II. *Chron.* XII, 19. *Iob.* XXVII, 24. existentiam in tempore hoc vel illo *Ps.* XXXVII, 18. habitum & amictum nostrum *Matth.* VI, 31.

§ 133. VIII. Novit entia rationis complexa & incomplexa, quorum entitas in imaginatione, mente & enunciatione existit aut existere potest I. *Iob.* III, 20. Licet enim Deus non fabricetur entia rationis, tamen cognoscit ea, prout à nobis cogitari possunt: quia hoc necessariò sequitur ex infinita comprehensione, quam Deus habet rerum omnium & potentiarum.

§. 134. IX. Bona simul & mala novit *Gen.* VI, 5. *Ier.* XVI, 17. Aliter tamen bona; aliter mala novit. Bona immediatè *Ps.* XIV, 1 mala nonnisi indirectè & per oppositum bonum. Malum enim per se non est intelligibile, cùm nihil aliud sit, quàm privatio boni. Ratio autem quâ Deum malorum notitiam habere probatur, hæc est: Qui scit actiones suas, etiam objecta ipsarum novit. Deus scit actiones suas circà mala. E. Minor patet. Nam permissionem, inhibitionem, directionem, determinationem, quæ sunt actionem Dei circà mala, Deus optimè novit. Cum autem dicitur Deus non videre malum *Hab.* I, & non noviſſe impios *Matth.* VII, 23. sermo est de no-

de notitia approbationis. Quæritur; *An Deus cognoscat malitiam actus, cognoscendo suam divinam bonitatem, an v. cognoscendo formaliter bonitatem actus oppositi?* Resp. Proximè & immediatè cognoscitur malum, per cognitionem illius formalis bonitatis, quâ privatur, non per bonitatem objecti, nisi remotè v. g. cæcitas cognoscitur proximè, non cognoscendo colorem seu lucem, quatenus est objectum visus, sed cognoscendo visum ipsum, quo cæcitas privat. Atq; sic omne peccatum proximè cognoscitur, quatenus privatur tali rectitudine, & bonitate sibi debitâ. Quia v. Deus omnem bonitatem creatam per suam essentialem bonitatem cognoscit, ideò rectè dicitur per suam bonitatem cognoscere omnem malitiam, quasi remotè & radicaliter. Tantum de objecto; sequitur *modus* scientiæ divinæ.

§. 135. DEUS novit omnia *per suam essentiam*, seu per seipsum, non per imagines extrinsecùs acceptas. Nos homines intelligimus per species, s. imagines, quæ à rebus sensu perceptis abstractæ imprimuntur animo, tanquàm sigilla ceræ. Per tales species, ac similitudinẽ ejusmodi Deus non videt, quia est simplicissimum Ens absque omni potentia passiva: proindè non potest recipere imagines, ut quiddam patiens, & habere scientiam ab extrinseco aliquo principio ortam.

Prætereà, quod Deus non cognoscat per species, patet ex remotione causarum, propter quas speciebus intelligibilibus utitur intellectus humanus, nempè (1) ut objectum absens intellectui cognoscenti uniant & approximent. Deus a. omnia sibi habet præsentissima; quapropter non indiget speciebus repræsentativis. Hinc Scaliger *exerc.* CCCXLV, *sect. 3. DEUS*, inquit, *non intelligit per speciem, sed per sui ipsius præsentiam*, (2) ut potentiam cognoscitivam, quæ ex se indifferens est ad hoc vel illud objectum, actuent & determinent. Divinus v. intellectus est actualissimus. Cessantibo ergò specierum causis, cessant ipsæ species. Optimè Thomas *p. 1. qv. 14. a. 5.* inquit: *Deus videt seipsum in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam: alia autem à se videt non per seipsa, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem omnium aliorum ab ipso:* h. e Deus non intelligit aliud à se, per aliquid aliud à se, sed omnia per suam essentiam cognoscit distinctè & determinatè. *Dices*; ergò malum erit in essentia divina. *Resp.* Mala Deus non cognoscit, nisi indirectè per opposita bona, sicut mediante habitu cognoscitur privatio. DEUS malum intelligit, non mali speciem in se aut sui essentiam recipiendo, sed seipsum & simul omnia intelligendo per oppositum malo bonum.

§. 136. Itaq; DEUS est αὐτόσοφος, à seipso sapiens

piens *Es XL,23. Rom.XVI,27.* Hinc neq; fides in Deum cadit. Fides enim oritur ex aliena relatione, quâ ignarus alicujus rei docetur.

§. 137. Scientia Dei est *simplex* tantùm & per infinitum intuitum, eumque non nudè apprehensivum, qualem etiam Angeli & beati post hanc vitam habebunt, sed comprehensivum. Noster intellectus non simul ac semel fertur in plura objecta, sed particulatim apprehendit & intelligit v.g. in homine α animalitatem, β humanitatem, γ risibilitatem. Deindè apprehendit non saltè simplices terminos, sed etiam complexos, faciendo propositiones, h.e componendo ac dividendo, ex noto ad ignotum progrediendo, & unum post aliud complectendo. DEUS autem uno ac individuo actu distinctissimè cognoscit omnia, non distractus ipse in plurima, sed collectus in semetipsum. *I. Reg. VIII,29. Ebr. IV,13.* conf. Augustinus *l. XV. de Trin. c.14.* Thomas *p.I. qv.14 a 13.* elegantem adhibet similitudinem, quâ nostrum & divinum intelligendi modum declarat. Nostram scientiam comparat visui illorum, qui in loco campestri ambulant, & tantum successivè vident alios se insequentes: divinam autem notitiam confert visui illorum, qui ex editiore loco & monte excelso totam viam intuentur, & simul uno adspectu omnes eos vident, qui in ipsa via versantur.

§. 138. Ideoq; scientia Dei est *æterna*, immutabilis, & non successiva ratione temporis *Actor. XV, 8. Eph. I.* Si enim Deus de novo cognosceret aliquid, tunc, *vel* intellectio excederet essentiam Dei, quia jam plura intelligeret, quàm antea: *vel* adderetur aliquid perfectionis essentiæ divinæ novâ istâ cognitione. Sed consequens utrumq; est absurdum. *Illud*; quia per essentiam Deus intelligit: *Hoc*; quia essentia Dei est perfectissima. Breviter: Cognitio Dei est æterna, & ideò omnia tempora complectitur, & in ea secundum se nec præteritum est, nec futurum, atq; adeò semper eodem modo omnia intuetur.

§. 139. Proindè scientia Dei est *Immutabilis* & invariabilis, etiam prout terminatur ad objecta maximè mutabilia & variabilia. Omnia Deus cognoscit, sic ut non varietur ejus scientia, *Jac. I, 7. Dices*; Deus nunc aliquid scit, quod ab æterno non scivit, nempè, mundum esse creatum, quem ab æterno non creatum, sed creandum esse nôrat. *Resp.* non statim quando mutatur objectum, ipsa scientia mutatur, quia res mutabiles non primarium, sed secundarium tantum scientiæ divinæ objectum sunt, nec earum existentias, ut ipsæ in se mutabiles sunt, sed in sua essentia cognoscit: undè nec cognitio ejus à rebus creatis, sed ab ipsa ejus essentia dependet. Accuratè hic notanda est determinatio,

quam

quam suprà posui, in scientia divina secundum se non esse, vel præteritum, vel futurum, sed saltem per denominationem extrinsecam temporum illi cōexistentium. Ita ergò, si considerem9 scientiam Dei in sua æternitate, nihil in ea mutatur, aut est præteritum, aut futurum, sed idem semper intuetur. Tamen in rebus videt successionem, & in ordine ad temporalem durationem videt nunc rem esse præteritam, & anteà fuisse futuram, ipse tamen semper eam intuetur eodem modo.

§. 140. Est tamen scientia divina ordinata & *successiva* ratione ordinis. Quamvis enim Deus uno & simplici actu intuetur omnia, tamen successio ordinis in objectis divinæ scientiæ meritò statuitur, eò, quod Deus (1) seipsum (2) omnia possibilia, s. exstitura, s. non (3) ipsa entia exstitura, seu post mundi creationem aliquandò duraverint, & posteà prætereant, seu præsentia sint, seu adhuc futura, cognoscat.

§. 141. Scientia divina est *perfectissima* 1. *essentialiter*. Deus enim est ens perfectissimum: ad consummatam autem Dei perfectionem pertinet, ut omnia, quæ in Deo sunt, sint essentialiter summè perfecta. DEUS est item summè perfectus in gradu intellectuali. E. ejus scientia erit essentialiter summè perfecta in gradu scientiæ. Adde, quod scientia divina sit fons omnis

creatæ

creatæ scientiæ, cùm sola sit scientia per essentiam; reliqua omnis per participationem ab illa. Ergò in specie sua erit summè perfecta. Quæritur; *An anima Christi λόγῳ omnisciо unita habuerit perfectissimam scientiã, an v. quicquam ignoraverit?* Posterius olim asseruerunt Agnoëtæ hæretici, quorum meminit Nicephorus *l. XVIII, c. 50.* Scholastici triplicem faciunt ignorantiam: pravæ dispositionis, privativam, & puræ negationis; & Christo homini non primam, nec secundam, sed tertiam tribuunt; nescientiam nempè puræ negationis, quod minimè ut homo comprehenderit divinam essentiam, atq; adeò non omnia ea sciverit, quæ sunt in Deo eminenter. Verùm convenientiùs distinguimus inter humanam naturam Christi nudè consideratam & per se; & quatenus πρὸς λόγῳ hypostaticè unita est. Priori modo rectè dicit Damascenus *l. III. de O. F. c. 21.* eam fuisse ignorantem, & Athanasius *serm. IV. cont. Arrianos*, fuisse ignorationi obnoxiam. Posteriori modo gaudet illâ perfectionis prærogativâ, quam Christo Paulus asignat *Col. II, 3. Dices; Marc. XIII, 32. Resp.* Ambrosius *l. V. de Fid. ad Grat. c. 8.* particulam hanc, neq; Filius, ab aliquibus hæreticis additam fuisse existimat. Theophylactus *in h. l.* dicit Christum amphibologicè ad quæstionem curiosam aliud dixisse, aliud sensisse. Origenes *Homil. XXX.* Christum sentis

sentit locutum fuisse de corpore suo mystico. Epiphanius *hæres. LXVIII, LXIX.* nescit, id est, non diligit, sicut illud: nescio vos. Secundum Basilium *l. I. cont. Evnom.* Augustinum *l. I. de Trin. c. 12.* Hieronymum *in c. XXIV. Matth.* Chrysosthomum *Homil. XIV. in Marcum.* nescit ad dicendum. Omnium optimè Nazianzenus *orat. IV. de Theol.* nescire Christum ait ex sese, vel naturaliter, quia omnia acceperat à Patre. 2. *intensivè*, propter summã perfectionem in omnibus conditionibus seu proprietatibus perfectæ scientiæ *Hebr. IV, 13.* 3. *extensivè*, non extesione entitativâ ex parte ipsius scientiæ, (est enim indivisibilis ac simplicissima divina entitas extensionis hujus incapax,) sed ex parte objecti, quia in se simplicissima existens ad omnia objecta scibilia se extendit, eaq; intuetur. Omnis enim perfectio Dei est infinita. E. quoq; scientia; adeoq; erit comprehensiva omnis objecti scibilis Hinc porrò scientiæ Dei est immensa, non crescens vel decrescens rerum creatarum cognitione, quantumvis multivariarum.

§. 142. Scientia divina est *certa* & infallibilis. I. *Sam.* XXVIII. Attingit enim veritatẽ cum perfectissimo lumine & simplicissimo intuitu, unũquodq; verum intuendo, prout in se est, & de unaquâq; veritate judicando secundum mensuram ejus. Nititur autem hæc infallibilitas, non

immu-

immutabili ipsius voluntate, sed infinitâ potentiâ adessendi creaturis, per quam omnia præsentissimè cognoscit. Non tamen necessitatem imponit rebus hæc sciendi infallibilitas, sed potiùs contingentiam in illis stabilit.

§. 143. Ideoq; in Deum non cadit *opinio*. Hæc enim incertitudini opponitur, & conjecturis quibusdam nititur.

§. 144. Scientia DEI nulli errori est obnoxia *Es. XL, 13.*

§. 145. Hæc de modo scientiæ divinæ in genere. *In specie*, Deus seipsum novit totum *adæquatè*, συλληπτικῶς seu comprehensive *Rom.* XI, 13. I. *Cor* II, 16. Ut enim Deus maximè est aliquid γνωστὸν, seu res maximè cognoscibilis, ita est maximè γνωστικὸν, s. maxime se cognoscit, & talem planè ac plenè, qualis est. Deus ergò non solum seipsum per seipsum intelligit, sed etiam comprehendit, voce comprehensionis non denotante inclusionem finiti, sed perfectissimam cognitionem.

§. 146. Res possibiles futuras Deus novit *tùm supereminenter*, prout in ipso & ejus intellectu sunt: *tùm adæquatè antecedenter*, prout adhuc latent in causis. Res enim possibiles habent aliquam entitatem possibilem. E. & veritatem (ens enim & verum reciprocantur,) ac proindè etiam cognoscibilitatem. Si Deus non cognoscit

scit res possibiles adæquatè, ergo vel ipse non potest cognoscere; vel res possibilis non est aliquid γνωστὸν, nec potest esse objectum cognitionis divinæ. Non illud; quia ex dictis constat, scientiam Dei esse infinitam extensivè ratione objecti. Nec hoc: quia, qualiter res possibilis est, taliter etiam est intelligibilis. Atqui est in causis. E. in causis etiam est cognoscibilis. Quinimò, si Deus cognoscit res existentes in seipsis, E. etiam res possibiles, quia cognitio DEI verè nec dependet, nec specificatur ab objectis creatis. Res autem existentes Deus novit *adæquatè præsenter*, prout illæ sunt in propriis suis naturis.

§. 147. Deus futura contingentia cognoscit *intuitivè*, quia ex se independenter & necessariò omne tempus futurum complectitur. Scotus *I. sent. dist. 38.* & ex recentioribus Doctoribus nonnulli opinantur, Deum futura contingentia cognoscere ex eo, quod ab æterno causas liberè agentes (ab his enim omnis contingentia propriè oritur,) ita determinare unoquoque tempore constituerit, ut ex diversis & contrariis, quæ pro libertate suo agere poterât, non hoc, sed illud præcise faciant. Cùm enim nec Angeli, nec homines vel agant quidquam, vel agere possint, sine Dei concursu, s. ille generalis sit *Actor.* XVII, 28. s. specialis *Joh.* XV, 5. ita per concursum istum agentia etiam libera ad unam partem con-

contradictionis definiri ita uūt, ut alterum amplecti tùm quidē nequeant, & Deum ideò certò prænosse, quid causæ illæ facturæ sint, quia ipse eas ita determinaturus est, ut non hoc, sed illud agant. Verum sententia hæc multis modis est erronea. Nam 1. si per concursum divinum causæ liberæ ita ad unum restringuntur, ut non possint agere alterum, unum illud necessariò agunt, & sic libertas ipsarum perit. 2. efficitur Deus hoc pacto autor peccati: Si enim homo per concursum divinum ad omnia illa, quæ agit, determinatur, determinatur etiam ad mala, adeoq; non necessariò tantùm, sed Dei insuper instinctu & præfinitione peccat. 3. Nec v. etiam homo per gratiā divinam ad bona ità determinatur, ut eâ præsente aliter & malè agere nequeat: est omnino resistibilis gratia præveniens & adjuvans *Act.* VII, 51. Nos dicimus causam, quod Deus futura contingentia certò prævideat, ex parte quidem ipsius esse infinitam & eminentissimam perfectionem intellectus, ejusq; summam perspicacitatem, quæ omnia perfectè cognoscit, quæcunq; cognoscibilia sunt; ex parte a. rerum ipsarum, quod etiam futura contingētia verè futura sint. Omne autem verum cognoscitur ab eo, qui cuncta cognoscit: sivè ergò absolutè, sive conditionaliter aliquando futura sint, exactè ideò novit, quod verè futura vel sunt, vel certè essent, si conditio

ditio hæc aut illa impleretur, quamvis a causis liberrime agentibus proveniant.

§ 148. Non tn. hæc præscientia divina futuritionem illam absolutè necessitat, sed positâ hâc scientiâ etiam potest non-sequi effectus contingenter futurus, idq; si scientia illa sit sub hypothesi & certis circumstantiis. Certitudo itaq; præscientiæ divinæ libertatem non tollit; imò ne quidem tollere potest: non enim ulla rerum ideò futura præcisè est, quia Deus futuram præscit, sed contrà, ideò DEUS ab æterno futuram præscivit, quia futura erat. Quia ergò præscientia divina non est causa, ob quam res extitura est, ideò necessitatem essendi ei imponere nequit: hæc enim à causa rei oritur. Quin, sicut Petrus, cum sedere Paulum videt, non facit, ut propterea à necessitate quâdam sedeat: ità nec Deus, cum prævidit hominem lapsurum, fecit, ut Adam ulla necessitate laberetur. *Dices;* Quæ Deus certo præscit, illa necessariò eveniunt. *Resp.* necessitate hypothetica, non absolutâ, sicut necessarium est, non id; quod à causâ necessariò agente provenit, sed quod est; quomodo necessarium est, Petrum, qui contingēter & pro lubitu consedit, dum sedet, sedere. Ea quæ Deus præscit futura, illa necessariò futura sunt, non absolutè, sed ex hypothesi. Sicut enim supposito me videre Petrum sedere, necesse est illum sedere, alioqui id non videam; nec tamen absolutè & in se hoc ne-

cessarium est, sed plane contingens, ita quoq; posito, quod Deus hoc vel illud præsciat, necessum est id fieri, non simpliciter, sed quia præscientia ejus falli nequit.

§. 149. Sequuntur distinctiones scientiæ divinæ à diverso ejus respectu ad objecta desumtæ. Scientia Dei est quidem maximè una & simplicissima: reipsâ n. identificatur cum essentia Dei, quippe rationes attributales, quas intellectus noster in Deo concipit, realiter non differunt ab essentia divina, sed cum ea reciprocantur, & sunt ipsa essentia divina, aliter atq; aliter à nobis concepta. Nihil tamen obstat, quo minus per rationis conceptus inadæquatos hanc unam scientiam Dei in plures distinguamus, non multiplicatâ interim divina cognitione, *tùm* ob multitudinem rerum, quæ sub illam cadunt, *tùm* ob varia munia, quæ in illa considerari possunt.

§. 150. *Scientia* Dei alia est *visionis*, alia *simplicis intelligentiæ*, quarum illa aliàs *intuitiva*; hæc *abstractiva* appellari solet; item, illa *libera*; hæc *naturalis*. Addunt alii tertiam, quam vocant *mediam* seu conditionatam. Scientiâ visionis Deus cognoscit res, ut in aliqua temporis differentia existunt, i.e. vel extiterunt aliquando, vel nunc existunt, vel extituræ sunt. Hoc modo videt Deus omnia creata, quæ aliquando futura sunt. Dicitur intuitiva, quia intuetur actualem rerum existentiam: libera, quia ratione creaturarum non est absolutè necessa-

ria, sed solùm ex suppositione objecti futuri. Scientiâ simplicis intelligentiæ Deus cognoscit, non solùm res, quæ sunt, fuerunt, vel futuræ sunt, sed etiam quicquid possibile est esse. Cùm enim summè sit intelligens, omne id cognoscit, quod cognosci ullo pacto potest. Tale autem non solùm est, quod aliquando existit, sed etiam quod existere potest. Deindè Deus & essentiam & potentiam suam perfectè cognitam habet: non solùm ergò novit, quæ fecit aut facturus est, sed &, quicquid facere potest. Vocatur scientia simplicis intelligentiæ, quia omne decretum voluntatis divinæ de rebus creandis antecedit: abstractiva; quia abstrahit ab actuali existentia objecti sui: naturalis, quia ut terminatur ad res possibiles, simpliciter necessaria est. Media seu conditionata est, quâ cognoscit ea, quæ absolutè quidem futura non sunt, essent tn., si hoc vel illud fieret, quod tn. sæpe non fit. *Matth. XI, 23.* quamvis hæc commodè referri possit ad naturalem. Videatur Alvarez *de Auxil. Disp. VII.* Twisius *de scient. med. l. I, p. 157.*

§. 151. Scientia Dei alia est *simplex*, seu nuda, alia *juncta cum voluntate*, alia *cum permissione*. Simplex est, quâ Deus sub ratione entitatis & veritatis res intelligit, aliàs dicta *Theoretica*. Conjuncta cum voluntate seu approbatione notitia Dei est, quâ res sub ratione boni, & ut objecta suæ voluntatis ac potentiæ considerat, aliàs dicta scientia

beneplaciti. Scientia conjuncta cum permissione est, quâ novit malũ, ita ut non velit, sed permittat. Non n. existimandũ est, mala fieri ignorante Deo, *tùm*, quod quæ positiva in iis sunt, ipsius concursu indigent, *tùm*, quod nec defectus in iis est & ἀτάξια ulla, nisi ipso permittente. Hæc autem distinctio, quæ trimembris est, potest ad ἀκολουθίαν reduci, si notitia Dei dicatur, vel *Theoretica*, vel *practica*, s. conjuncta cum *misericordia* aut *justitia* Dei. Quando autem sub practica notitia continetur permissio, tunc praxis illa s. actio Dei rectè intelligenda est. Non enim hic est sensus, quod Deus agat malum, cum permittere dicitur, sed quod aversetur malum, &, cum nolit physicè inhibere, sinat fieri à causa secunda, quæ ab ordine primi agentis exorbitat: jam aversatio mali, & concessio, ut alius agat malum, & non-inhibitio sunt etiam actiones. Hinc Thomas *p. I. q. 14. a. 16. Mala*, inquit, *licet à Deo non sint operabilia, tamen sub cognitionẽ practicam ipsius cadunt, sicut & bona: in quantum permittit, vel ordinat, vel impedit ea, sicut & ægritudines cadunt sub practicam scientiam Medici, in quantum per artẽ suam curat eas, & removet* &c. Huic practicæ scientiæ in sacris certo respectu opponitur *oblivio*, quâ nihil aliud intelligitur, quàm dilatio auxilii à piis exoptati & judicii in impios statuendi.

§. 152. Hìc notamus I. simplex Dei scientia non

non est causa rerum. Sicut intuitus præsentium rerum non est illarum causa; sic scientia nuda non est causa futurarum. II. Deus scientiâ practicâ s. cõjunctâ cum voluntate cognoscit possibilia actu tantùm futura: simplici autem s. nudâ notitiâ novit etiam possibilia non-futura actu.

CAPUT XI.

DE

Voluntate DEI.

§. 153. COgnito intellectu, promovemur ad *voluntatem* Dei. Quamvis n. reipsâ idem sint esse, intelligere & velle Dei; tamen effectu discernitur intellectus à voluntate, &, pro captu notitiæ nostræ statuimus, Deum prius cognovisse, id quod vult.

§. 154. *Voluntas* dicitur tribus modis (1) pro potentia volendi (2) pro volendi actu, seu volitione (3) pro re volita. Græci habent tres distinctos terminos, τὸ θελητικὸν, quod dicit *potentiam volendi*; τὸν θέλησιν, quæ dicit *exercitium illius potentiæ*; & τὸ θελητὸν, quod notat *objectum volitum*. Ità quoq; in Deo distinguuntur id, quo vult aliquid, & actus ipse volendi, s. volitio *Gen. XLV, 8. Ps. CXV, 4. I. Cor. XII, 11.* In his locis significatur usurpatio divinæ potentiæ volendi. In primo autem significatu sumitur voluntas Dei, quando spectatur citrà ipsum volendi actum. Deniq; Voluntas Dei etiam significat rem volitam *Joh. VI, 39. I. Thess. al. IV, 3.*

Postrema significatio huc proprie non pertinet: reliquæ autem sunt *h. l.* Ex natura demonstratur Voluntas divina iisdem rationibus, quibus suprà intellectus

§. 155. Voluntas divina est appetitus Dei viventis, quo in bonum cognitum fertur ad agendum. Tenendum hic est, id, quo Deus vult, & ipsum volendi actum tantùm ratione & nostro concipiendi modo distingui, quatenus actus ille spectatur, ut est in ipso Deo. Nam & id, quo Deus vult, est ipsa Dei essentia, quamvis à nobis ut proprietas consideretur: ipsaq; actio volendi in Deo ratione sui ipsius spectato, est ipse Deus. Non enim DEUS vult per potentiam quandam, aut habitum, sed per suam essentiam. Cum itaq; dico; Deus vult: idem dico, ac Deus est volens, & de Deo prædicatur essentia ejus, quatenus vult. Quando autem DEUS dicitur velle has vel illas res, essentia divina prædicatur non absolutè & simpliciter, sed ita, ut voluntati divinæ, quæ est ipse Deus, omnia bona subjecta dicantur hoc sensu: Deus est, cujus voluntati, quæ est ipsa essentia ejus volens, sunt subjecta omnia. Hinc facilè occurritur objectioni. Si identificantur in Deo voluntas & essentia, sequitur, Deo volente omnia, quæ facit, eum esse omnia, quæ facit. *Resp.* Neg. conseq. in Maj. Quia Dei voluntas est ipsa ejus essentia, quatenus sc. in se spectatur voluntas & ratione sui: verùm respectu objectorum creatorum voluntas Dei ab ejus essentia differt.

§. 156. *Objectum* voluntatis divinæ est bonum tantum: malum autem nullo modo velle potest, aut vult. Intelligimus malum culpæ, quod è diametro Deo adversatur. Unde David *Ps. V, 5.* de Deo enunciat, quod non velit peccatum. Complectitur autem illa non-voluntas DEI varios actus providentiæ divinæ circà peccatum, antequam illud committatur, *tàm* negativos, *quàm* positivos. Non vult peccatum, *tùm* non-incitando *Jac. I, 13.* *tùm* non-imperando *Syr. XV, 21.* *tùm* dehortando creaturas rationales, vetando peccatum, & comminando pœnas temporarias ac æternas: *tùm*, interdum etiam impediendo. (Et quidem impedimentum ponit, vel physicum potentiæ, vel morale voluntati. Potentiæ, quando facit ut creatura actum, ad quem præstandum vires habet alioquin sat sufficientes, patrare non possit, idq; vel α per vitæ abbreviationem *II. Reg. XIX, 37.* β per virium privationem aut diminutionem, ut cum Jeroboamum, ne Prophetam Dei pœnas annunciantem læderet, impedit per arefactionem manus γ per objecti subductionem *Joh. VIII, 59. Act XIII, 10.* Voluntati autem argumentis impedimentum ponit, deductis, vel ab impossibili *Matth. XXII, 46.* vel ab inutili *Genes. XXXV.* vel ab inhonesto *Genes. XXXVII, 1. I. Sam. XXIV.*) *tùm* nonnunquam permittendo. Nam & ipsa permissio pertinet ad non-velle hoc: licet enim permissio sit voluntaria,

& Deus volens permittat peccatum, non nolens, non tamen vult rem permissam, nec peccatum adprobat, siquidem volitio immediatè versatur circà permissionem, permissio v. circà peccatum. Atq; ita distincta sunt objecta, unum, quod vult, nempè permissionem, alterum, quod non vult & permittit, nempè peccatum. Est autem permissio divina circà peccatum talis actus, quo Deus à creatura rationali id, quod prohibuit, fieri sinit, ita ut illud factum non approbet. Propterea accuratè loquitur Psaltes, Deum esse non-volentem peccatum. Nam ita includit generatim omnes illos actus Dei circà peccatum, antequam committatur, considerandos, quorum aliqui sunt perpetui, aliqui v. possunt alternari, ut impeditio & permissio. Hinc Bellarm: *l. II de causa pecc. c. 16.* rectè distinguit inter velle, non-velle & nolle: nolle deindè iterum facit geminum, negativum & positivum. *Velle* idem est, ac eligere aliquid & approbare, ut fiat; *non-velle* est aversari aliquid, sed non impedire, verùm permittere; *nolle negativum* est simplex aversatio & reprobatio citrà resistentiam & impeditionem talem, quâ creaturæ potentia & voluntas inhibetur, ne velit & agat: *nolle* autem *positivum* est aversatio conjuncta cum efficaci impeditione. Alii distinctionem hanc exprimunt aliis phrasibus, & quod nos diximus nolle negativum, illi vocant non-velle, deindè, quod nos positivum nolle appella-

pellamus, ipsi simpliciter per nolle efferunt. Sed talis differentia horum verborum vix locum habere potest, si illa ponãtur sola cum objectis v.g. non-velle & nolle peccatum. Nam & ipse Cicero nolle pro non-velle dictum esse putat, nec ullam inter nolle & non-velle differentiam constituit: mediantibus tamen aliis verbis, ut fieri, agere &c. hæc vocula de objectis dicta non significat ipsam actionem simpliciter, sed determinationem actionis, quæ sit vel voluntaria, vel involuntaria, vel mixta, & tunc ostendi potest aliquod discrimen, ut facit etiam Aristoteles *l. III. Eth. Nicom.* distinguens inter actionem voluntariam & non voluntariam. Nam velle non fieri aliquid est aversari aliquid, sinere tamen, ut alius agat. Hoc autem inprimis notetur, minus commodè ex *b. l.* Aristotelis DEI nolle negativum dici actionem mixtam, quia mixta illa actio est ab impotentia agentis, & planè diversa est permissio divina à permissione humana. Nam permissio humana est vel à voluntate infirma, aut injusta, v.g. cum permittuntur & non puniuntur scelera: vel ab impotentia, quando id fit, quod homo impedire nequit: at enim permissio divina longè aliter se habet. Non enim permittit Deus, ut *inscius* virium & affectuum creaturarum rationaliũ in peccata ruentium, quia est omniscius: nõ *invitus*, quia potuisset creaturam peccantem aut non-creare, aut peccaturam abolere: non

ex *impotentia* impediendi, quia est omnipotens: nec ut *otiosus* spectator aut ejus, quod agitur, negligens. Nam peccatum & antequam patratur, vetat, & dum patratur, determinat, certâ illi metâ positâ, illudq; contrà naturam suã dirigit in bonum finem, qui est, vel ostensio justitiæ in peccati punitione, vel demonstratio misericordiæ, in ejusdem remissione. Frustrà autem sunt Calviniani, quando dicunt, Deum quidem non velle peccatum, seu ἀταξίαν, ut causam subsequentis peccati, velle tn. α *ut pœnam* antegressi peccati β *ut occasionem* boni divinâ voluntate indè oriturí. Nam *Resp.* ad α Peccatum ut peccatum non habet rationem pœnæ, sed ut permittitur à Deo, atque sic permissio peccati posterioris est pœna peccati prioris. Neq; enim voluntatis divinæ objectum est peccatum, (quippe quod Deus semper aversatur & odit,) sed permissio peccati. Volenter quidem DEUS permittit peccatum, sed nullo modo, ne quidem permisivè vult. Ad β occasio boni, quæ emergit ex malo culpæ, non est præbita à malo illo, (hoc n. suâ naturâ nihil boni potest producere, sed pœnam temporalem & æternam meretur,) sed ab ipso Deo occasio illa per summam sapientiam sumitur, & contrà naturam mali culpæ ad bonum finem accommodatur, non malum ipsum, sed permissio mali. *Dices* 1. Deus deserit hominem peccatorem ope gratiæ. E. vult peccatum 2. voluit redemtionem

tionem generis humani ut decretum. E. quoq; voluit ejus exsecutionem, nempè crucifixionem Christi, adeoq; peccatum Judæorum. *Resp.* ad 1. Deus subtrahendo auxilium suum exsequitur justitiam vindicatricem & consequentem suam volûtatem, ac præsupponit meritum defectionis culpâ hominis contractum. Ad 2 Disting. inter exsecutionem decreti, & vitium exsecutioni adhærens. Deus voluit passionem Christi, non autem passionis illum modum & illas circumstantias. Potest aliquis rem velle; modum autem rei nolle. Sic Deus generationem hominis vult, incendia v. conjugum ex vitiosæ concupiscentiæ fonte promanantia non vult, sed saltem permittit, & ut loquitur Lutherus, συγκαταθέσει, tolerat ejusmodi ineptias maritales. Crucifixio Christi est quidem unum factum Dei & hostium, sed modus operandi est diversus. *Primum* discrimen est *in causa finali*: Diabolus cruciatibus infernalibus Christum affligit, & Judæi crucifigunt eum; Ille quidem, ut salutem hominum ex passione hac oriundam intervertat: hi autem ut vindicent increpationes & anathematismos, quibus illos Christus perstrinxerat, nec non religionem & populum totum in tranquillo, ut quidem sibi imaginabantur, collocent *Joh. XI, 48.* Deus autem alium, eumq; geminum finem sibi habet propositum, nempe ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης, ostensionem justitiæ suæ vindicatricis, quâ peccata gene-

generis humani in Christo hominum sponsore & intercessore puniit; deinde, ejusdem generis humani redemtionem ac reconciliationem. *Secundum* discrimen consistit *in principio operandi*: Diabolus n. & Judæi ex malitia & invidia nullo DEI impulsu aut motu ad cruciandum Christum moti sunt; Deus autem hanc malitiam non vult, sed ea permissâ utitur, prout novit saluti hominum & gloriæ suæ conducere. Neq; enim necesse fuit, Judæos Christum crucifigere necessitate simplici, sed tantùm conditionatâ, quatenus malitia eorum non fuit immutata, & hanc Deus prævidens decrevit se permissurum, id quod etiam volunt duo loca *Act. II, 23. IV, 28.* Nam prior locus non hoc intendit, quod Deus voluerit, ut Judæi Christum trucidarent, sed tantum, quod definito consilio & præscientia traditus sit in potestatem illorum, qui volebant eum necare. Neq; aliud ex loco posteriori evinci potest. Præordinavit enim Deus, filium suum tradere in manus hostium, ut ab iis pateretur, quæ Judæi pro sua malitia & odio ipsi inferre statuerant. Undè sequitur, illam προωρισμένην βουλὴν, seu illud definitum Dei consilium, quo filium suum in manus hostium tradidit, esse decretum consequens, & quidem non beneplaciti, sed permissionis, quâ Deus potentiam & voluntatem hostium non impedire decrevit. Quod ut melius intelligatur, sciendum est, duplicem esse permissionem

tionem Dei circà actiones humanas. *Una* est, quâ Deus actum aliquem non adstringit lege, h.e. non jubet aut vetat, sed illum facit arbitrii creaturæ rationalis: sic permittit actiones adiaphoras, & in V.T. hoc modo permittebat populo suo libellũ repudii. *Altera* est, quâ Deus actũ permittit potentiæ, affectui & voluntati creaturæ. Priori permissione Deus hostibus non permisit crucifixionem filii sui, sed lege eam circumscripsit & vetuit, quæ erat de non-occidendo insonte homine *Joh. VII, 17.* Posteriore permissione autem Deus Judæis permisit crucifixionem filii sui, & quidem volens. Ideò aliquoties antea impedivit, argumento à difficili seu impossibili, ne principes sacerdotum Christo citiò inferrent manus *Matth. XXI, 46.* Huic permissioni autem præcedanea est προγνωσις, s. præscientia malitiæ in Judæis, quibus facta est permissio, existentis, eidemq; permissioni conjuncta est determinatio Dei, quousq; hostes progredi in cruciando vellet. Ideò, quæ ipse non voluit permittere in hac passione, impedivit, v. g. crurifragium. Propterea *Actor. IV.* additur vocabulum χειρὸς, per quod nihil aliud intelligitur, quàm virtus & potentia Dei, sicut ex *vers. 30. & 33.* apparet. Proindè passio Christi non quidem facta est citrà voluntatem Dei, puta voluntatem permissionis *Joh. XIX, 2.* facta tamen est citrà voluntatem beneplaciti. *Tertium* discrimen est *in forma ipsa*, seu *jure infligendi*

passio-

passionem. Deus tradidit filium suum in mortem, quia jus habuit eum sic tractandi, & Christus habuit ἐξουσίαν ac jus semetipsum tradendi *Galat. II, 20.* Itaq; Deus passionem & mortem Christi, si spectetur citrà modum illum, quo prævisà Judæorum malitiâ crucifixionem filii sui permisit, antecedente voluntate decrevit, motus dilectione ergà genus humanum *Joh. III, 16. Es LIII, 10.* atq; ita activè à Deo est passionis hæc immissio, tàm quoad voluntatem, quàm qvoad exsecutionem, absolutè & antecedenter spectatam, absq; modo per prævisam Judæorum malitiam & consequēte voluntate permissam, interveniente. Nam de antecedete voluntate DEI & activa traditione filii loquitur Scriptura in sequentibus locis *Es.* LIII, 6. 10. *Joh.* III, 16. *Rom.* VIII, 32. II. *Cor.* V. *v. ult.* Similiter & in Christo sponsio satisfactionis ab æterno præstita & passionis hujus pœnalis susceptio voluntaria est & activa. Undè sequitur, duplicem esse respectum voluntatis Dei circà passionem Christi, ut & necessitatis hinc oriundæ. Nam si consideretur passio Christi, prout Judæorum malitiâ, divinitus permissâ, fuit peracta, hactenus & hoc modo DEUS illam non voluit voluntate antecedente, sed permisit: neque necesse fuit, Christum per Judæos crucifigi, nisi necessitate consequente. Si v. consideretur dilectio DEI ergà lapsum genus humanum, & interceſſio filii pro eodem, tunc passio Christi

Christi active est à Deo, qvi immensâ misericordiâ motus voluit per Filium ultrò se ad hoc officium offerentem, suæ justitiæ satisfieri: itaq; ut voluntas hæc est antecedens & absoluta, ita & satisfactio pro lapso genere humano est absolute necessaria. Judæi v. nullum habuerunt jus tradendi Christum in mortem, quia hoc illis non erat mandatum: tribuitur quidem Judæis Christum captivantibus ἐξουσία *Luc.* XXII, 53. & Pilato potestas Christum crucifigendi: sed illa potestas non est justa vel legitima, sed potestas ἐκ σκότους; hinc χεῖρες ἀνόμως illis Petrus adscribit *Act.* II, 23. Hæc tertia differentia est omnium præcipua, quia actiones non tantum fine & modo, sed inprimis formâ distingvuntur, qvæ est justitia, vel injustitia. Nec sequitur; si Judæi Christum crucifixissent eum in finem, ut genus humanum redimeret, illos non peccasse: quia interdictum ipsis erat divinitus, ne insontem occiderent, nec habebant speciale aliquod mandatum, qvod huic generali derogasset, qvale qvidem dabatur Abrahamo, ut mactaret filium suum: adde, qvod facinus Judæorum fuerit malum morale, qvale patrare non licet, ut indè bonum eveniat, aliàs Saul à peccato excusatus fuisset, qvi armenta Amalekitarum ad sacrificandũ servasset I. *Sam.* XV.

§. 157. *Bonum*, circà quod versatur voluntas Dei, aliud est *summum*, ut DEUS; aliud *à summo ortum*, ut res creatæ.

§. 158.

§. 158. DEUS hoc ipso, quod summè bonus est, maximè se vult & amat. Nam (1) Summum Bonum est summè appetibile (2) DEUS à seipso non abest, ideoq; se vult, non per appetitum desiderii, qui, notante Scaligero, est affectus habendi id, quod nondum adest: sed appetitû complacentiæ, qui dicit acqviescentiam in bono, quod habetur. Atq; hoc modo Deus appetit & amat suam ipsius essentiam & bonitatem.

§. 159. Bonum ortum à summo est quatuor generum. Vult enim DEUS (1) omnia, quæ ex possibilibus sibi entibus universis per sapientiam suam judicavit facienda *Psal.* CXV, 3. & postquàm facta sunt, ergà illa affectus est suâ voluntate, prout vestigium aliquod DEI, vel similitudinem aliquam cum ipsius natura obtinent *Gen.* I, 31. (2) quæ æquum esse judicat, ut à creaturis intelligentibus fiant. Et hæc volitio significatur præcepto aut interdicto *Exod.* XX, 1. 2. *Mich.* VI, 8. (3) permissionem peccati, aut etiam suspensionem impedimenti efficacis, cum creaturam sinit facere id, quod vetuit, & omittere, quod ipse jussit *Ps.* LI, 13. *Es.* V, 4. (4) illa, quæ secundum infinitam suam sapientiam judicat facienda de actibus creaturarum intelligentium, h.e. præmia & pœnas *Gen.* XXII, 16. *Es.* V, 5.

§. 160. Deus directè vult se, ut finem & summum Bonum: reliqua a. vult indirectè, ut media ad finem, non sibi quidem acquirendum, quia ipse sibi finis est, sed aliis communicandum. §. 161.

§. 161. Objectum voluntatis increatæ duplex est: *primarium*, quod est finis ultimus: & *secundarium*, quò pertinent media ad finem. Sic Deus vult se primariò, ut finem; reliqua omnia propter seipsum *Prov. XVI, 4.*

§. 162 Media ad finem Deus vult per se, nempè, quæ simpliciter bona sunt, non tantùm moralia, sed etiam utilia & jucunda; per accidens v. mala pœnæ. Mala pœnæ aliquo respectu sunt mala, sc. injucunda creaturæ, eamq; sepè destruentia: non tamen simpliciter mala sunt, & quia creaturæ suis peccatis talia merentur, ideò Deus per suam justitiam aliter facere non potest, nisi ut positis peccatis pœnas etiam velit, cùm primariò nil nisi bona simpliciter & præmia offerat; undè præmiari dicitur proprium Dei opus; punire verò alienum. Inde patet, mala pœnæ Deum velle non saltèm permittendo, sed etiam agendo. Nihilominus tn., quia non vult hoc malum propter ipsum, sed propter rationem aliquam boni majorem, vel magis universalem; ideò dicitur hæc mala non per se velle, sed qs. per accidens, non quia illa reverâ non velit directè, & in se, sed quia solum illa vult, ut necessariò consequantur ex aliis bonis, vel qs. coactus ex alia ratione boni. Sicut in Philosophia dicuntur agentia naturalia non per se, sed per accidens corrumpere.

§. 163. *Voluntas* Dei ratione objecti variè distinguitur. Nam, *vel* est Necessaria, *vel* libera. Quemadmodum enim volitio creaturarum ad summum bonum & finem ultimum fertur necessariò; ad media v. tendit liberè: sic & infinita illa voluntas seipsam vult naturali inclinatione, reliqua omnia, quæ extrà se sunt, liberè vult.

§. 164. *Necessaria* voluntas est, quâ Deus secundùm modum naturæ fertur in seipsum & bonitatem suam necessariò, tàm quoad specificationem, quàm, quoad exercitium. Nam Voluntas infinita ad objectum infinitum se habet perfectissimo modo se habendi: sed voluntas divina est hujusmodi, igitur ad summum diligibile, quod est divina essentia, se habet perfectissimo modo, quo possibile est aliquam facultatem se habere ad ipsum, hoc autem non esset, nisi ipsum necessariò, & actu adæquato diligeret. *Deindè*, Deus necessariò est beatus: qvia prorsus repugnat, quod non sit beatus actu: ergò necessariò videt & diligit objectum beatificum, quod est divina essentia. Nam beatitudo perfecta consistit in visione & dilectione essentiæ divinæ. Hinc incongrua, &, si rigide examinetur, falsa est phrasis, quâ dicitur, Deum esse liberè justum, veracem, misericordem &c. Si enim hoc est, potest esse non-justus, non-misericors, non-verax. Si liber-

libere esset bonus, etiam seipsum liberè cognosceret & amaret, & omnes actus ad intrà liberè exerceret, liberè Pater generaret Filium, liberè Pater & Filius spirarent Spiritum S. quæ omnia sunt longe absurdissima. *Dices*; misereri, punite &c. est contingens effectum voluntatis divinæ. Miseretur enim cujus vult misereri. *Resp.* distingv. inter voluntatem & ejusdem exercitium. Illa naturalis est; hoc quoad certa objecta certo respectu liberum. *Deindè*, non confundenda est miseratio cum misericordia; punitio cum voluntate puniendi.

§.165. *Libera* Dei voluntas est, quâ fertur in objectum, quod extrà ipsum est, sic, ut positis omnibus ad agendum & volendum requisitis, possit, tamen illud non-velle, & non agere. *Deut IV, 35. Eph. I, 11. Apoc. IV, 11.* Idem probat Natura. Si Deus quæ vult & facit, vult & facit necessariò, nihil in rerum universitate est contingens. *Dices*; summi boni natura est, ut se diffundat & aliis communicet. E necessariò aliquid extrà se produxit. *Resp.* disting. inter communicabilitatem & communicationem actualem: illa est necessaria; hæc libera. *Dices*; Decreta Dei sunt reapse idem cum essentia divina. E. sunt necessaria. *Resp* disting. inter decreta divina, prout spectantur in se, & ratione entitatis suæ; & prout respiciunt creaturas & ad eas terminantur. Priore

modo sunt necessaria; posteriore libera, sicut nostrum velle, prout fertur in bonum universale, necessarium; prout fertur in bonum particulare, liberum est *Deindè* aliud est, liberè, aliud, mutabiliter decernere. Hîc notetur tamen, Deum, licet non velit creaturas necessariò necessitate absolutâ, velle tamen necessariò ex suppositione, non solùm eo modo, quo omne, quod est, quando est, necesse est esse, sed etiam necessitate immutabilitatis, quia, quod semel vult, semper necessariò vult, & quod ab æterno non voluit, semper, ac necessariò non vult in sensu composito.

§. 166. Proindè, Deus est liberrimum agens ratione objecti, quod est aliud ab ipso *Ps. CXIV. Eph. I, II.* Si enim creatura intellectualis est liberá, longè liberior, imò liberrima erit essentia infinita.

§. 167. Libertas hæc se habet ad utrumq; oppositorum, tùm contradictoriorum, tùm physicè contrariorum membrum æqualiter. Sic Deus potuit creare mundum, & non creare, sic in contrariis physicis potest huic morbum infligere, potest etiam sanum conservare. Moraliter autem contrariorum membrum utrumque Deus non potest velle aut facere, non potest esse justo & injustus: quia simpliciter non vult mala, nec in potestate ejus est, velle mala; per naturam enim & necessario justus est. §. 168.

§. 168. Omnis actio Dei ad extrà est libera. Deus agens in objectum quod est à seipso aliud, s. ipsi sit unitum in intellectione & volitione, in quod tendit actu interno; sivè reipsâ ab illo separatum, in quod tendit actu externo, agit libere, & propter hoc res dicitur absolutè contingens. Sic Deus decrevit liberè mundum condere, & liberè etiam condidit. Potest tamen liber actus Dei fieri necessarius ex consequenti, positâ sc. conditione, quam volebat Deus: sic DEUS creavit necessitate hypotheticâ, quia creaturas, ut postea fecit, voluit in tempore creare; ita non potuit non Davidi semen dare, postquam ipsi promiserat.

§. 169. Voluntas Dei libera est *vel* arcana, *vel* revelata.

§ 170. *Arcana* est, quâ Deus statuit aliqua efficere, quæ nos latere voluit *Ps. XXVI, 7. Rom. XI, 15* propterea, quod illorum revelationem ad salutem nostram neq; necessariam, neq; utilem esse judicavit.

§. 171. *Revelata* est, quâ nobis patefacere voluit ea, quæ ad salutem nostram sunt necessaria & utilia. *Joh. VI, 40. Eph. IV, 30. I. Thess. IV, 3.* Ad hanc pertinent non tantum omnia mandata Dei, sed etiam illa decreta, quæ Deus ad salutem nobis patefacere voluit *Act. XX, 20.* Ad arcanam autem voluntatem referēda sunt omnia

illa decreta, quibus Deus statuit aliquid facere aut permittere, quod nobis voluit esse occultũ. Ubi notandum est, quædam revelata esse à DEO certo tempore, quædam v. nunquam. Nam etiam quædam eorum, quæ Deus de nobis vult, fuerunt certo demum tempore revelata, & antè illud arcana fuerunt: sic in statu integritatis decretũ Dei de permittendo lapsu Adamitico, deq; redimendo genere humano & peccatore per fidem justificando non fuit revelatum: similiter Evangelium strictè sic dictum, h.e. concio de exhibito Messia non fuit revelata, priusquàm illa exhibitio facta esset *Rom. XVI, 25.* Ita ratione illius temporis, quo DEUS non vult plura revelare, patefactio illorum, quæ Deus populo suo per scripturam ἐμπνεῦσαι communicare voluit, sufficiens existit.

§. 172. Voluntas revelata non est contraria arcanæ. Calviniani quidam eas opponunt, & dicunt in negotio salutis Deum externâ voluntate velle etiam reproborum salutem, quamvis nolit interius. Vide Bezam *part. II. respons. ad act. colloq. Montisb. p. 173* Ideoq; Piscator *cont. Schaffman. th. CVI. p. 143.* Calvinus *in Ezech. XVIII, 23. p. 353.* Zanchius *de Nat. Dei I. V. c. 2. p. 4.* locum Paulinum *I. Tim. II, 4.* de voluntate revelata verum; de abscondita falsum esse enunciant, atq; sic Deo sanctam quandam simulationem tribuunt. Verùm

hæc

hæc oppositio voluntatum istarum est falsissima & contrà leges bonæ oppositionis, quia non fit κατὰ τὸ αὐτὸ, circà idem subjectum. Aut enim Voluntas Dei simpliciter & omni tempore absconditа consideratur, & hæc, quæ per istam voluntatem voluit, sunt prorsus diversa ab illis, quæ per revelatam voluntatem nobis communicavit, ceu ad salutem necessaria & utilia. Aut consideratur voluntas DEI arcana secundùm quid & ratione certi temporis: & tunc arcanæ voluntatis, cujus patefactio ad certum tempus differebatur, (v g. Messiam nasciturum esse temporibus Augusti,) interpretatio est revelata voluntas. Sic itaq; hæ duæ voluntates sibi non sunt adversæ: & falsum, imò blasphemum est, Deum voluntate revelatâ, quâ vult vocare ad salutem, simulare desiderium salvandi reprobos, & arcanâ voluntate illà quæ post certo tempore revelatur, nolle salutem illorum: falsum quoq; est, Deum actu negativo ullum hominem absolute reprobasse. Enervat hoc dogma scripturam *Os. XIII,9.* (quem locum à corruptelis Piscatorianis vindicatum reperies apud Helvicum *in vindiciis fol.342.*) *Ezech. XVIII,23. XXXIII,11. Joh III, 16.36.* restringit superabundantissimam Dei misericordiam *Rom. XI,32.* tollit meriti Christi sufficientiam. *I. Joh. II, 2.* lacrymas Christi suspectas reddit *Luc. XIX, 41.* explodit juramentum Dei *Ezech.*

XVIII, 23. exsibilat ministerium spiritûs *I. Tim. II, 4. Matth. XXVIII, 19. 20. Col. I, 28* subvertit creationis beneficium *Sap. II, 24.* convellit Christi reparationem *Rom. V, 18.* labefactat vocationis nostræ gratiam *Luc. XIV, 17.* enervat baptismi efficaciam *Gal. III, 27.* eludit sacræ synaxeos institutum *I Cor. X, 16. 17.* intercludit pœnitentiæ aditum *Act. XVII, 30.* impedit benè vivendi studium *Tit. II, 11. 12.* perimit verum Christianorum solatium *II. Pet. III, 9.* obscurat Dei gloriam, *Rom. V, 20. 21.* turbat precationis officium *I. Tim. II, 1.* Imò, si præter revelatum verbum ulla in DEO occulta voluntas esset, quæ simpliciter hominis vellet exitium, orando, ut Dei voluntas fieret, vel imprecaremur nobis ipsis in peccata & gehennam præcipitium, vel voluntati divinæ reluctaremur. Hoc profanum; illud precum fini partibusq; repugnat.

§. 173. Arcanam voluntatem, quatenus talis, h. e. vel nunquam revelanda, vel nondum revelata est, non debet opus Dei scrutari, aut temerariâ curiositate indagare *Prov.* XXV, 27.

§. 174. Voluntas Dei alia est placiti, alia signi. *Aliquando*, inquit Hugo de S. Victore *part. IV. lib. de sacram. c. 2. in sacro eloquio voluntas Dei accipitur, illa, quæ verè est in ipso, & eadem cum ipso, & coæterna ipsi: aliquando secundùm quandam dicendi figuram, voluntas ejus vocatur, quæ secundum proprieta-*

pr et atem non est voluntas ejus, sed signum voluntatis ejus. Scholastici ex Lombardo *l. 1. sent. dist. 45.* primam nominant voluntatem beneplaciti, sed incommodè: quia vox εὐδοκία h. l. non significat bonitatem moralem, sed utilem seu salutarem, ideoq; εὐδοκία est voluntas, quâ quis alteri statuit benefacere. Nec obstat locus *Matth. XI, 28* ubi videri possit, vocem εὐδοκίας sumi generatim pro placito Dei, comprehendente in se non tantum voluntatem benefaciendi, sed etiam puniendi. Sed falsum hoc est. Nam (1) voluntatis hujus, de qua Christus loquitur, causa efficiens est φιλανθρωπία Dei (2) si Christus gratias ageret Patri pro sapientum hujus seculi præteritione, non oraret pro sapientibus istis. Ratio incopulato est: qui enim orat pro aliquo, non potest Deo gratias agere pro ipsius interitu. At Christus orat pro sapientibus hujus seculi *I. Cor. II, 8.* E. &c. Proindè, qui ex *l c.* probare volunt, quamvis voluntatem Dei, etiam illam, quâ ex sequitur justitiam punitivam, esse Dei beneplacitum, illi committunt fallaciam compositionis. Nam vox εὐδοκίας referenda est ad proximum membrum, non ad utrumq;, quemadmodum etiam Chrysosthomus interpretatur. *Deindè*, voluntas Dei est, non tantùm, quâ statuit salvare, sed etiam, quâ statuit permittere & punire:

ideoq; in divisione generali talis vox est sumenda, quæ includit generalem rationem, qualis est vox placiti.

§. 175. *Voluntas placiti* est internus actus voluntatis Dei, quo vult aliquid, aut non-vult. Ut jam diximus; Scholasticis catachrestice & per synecdochen speciei pro genere voluntas placiti vocata est voluntas beneplaciti, ita, ut complecteretur non tantum voluntatem benefaciendi, sed & permissionem reprobationis infidelium & eorum damnationis decretum. Nos dicimus, voluntatem placiti, aliam esse beneplaciti, aliam permissionis, aliam punitionis.

§. 176. *Voluntas signi* est, cum Deus certo signo significat se velle aut nolle aliquid v. g. præcipiendo, prohibendo, comminando &c. Consideratur hæc voluntas *vel formaliter*, ut abstracta est à re signata s. volita, & sic potius est signum voluntatis, quàm voluntas: ita præcepta divina formaliter nihil aliud sunt, quam signa, quibus ostendit Deus, se aliquid mandare, vel vetare. *Vel materialiter* sumitur & concretivè, prout significat rem volitam, certo signo à Deo significatam. Juxtà priorem considerandi modum voluntas signi non opponitur voluntati placiti, ut est voluntas, sed tantùm ratione adjuncti, ut est interna voluntas, & ut Deus apud se aliquid interiùs voluit; voluntas autem signi, ut est

ut est externa, & quatenus certo signo est significata. Juxtà posteriorem considerationem voluntas placiti non magis est volũtas, quàm signi, licet voluntas placiti tantùm sit voluntas signi materialiter considerata: neq; enim omnia decreta Dei divinitùs revelantur. Licet ergò voluntas signi non sit omnis voluntas placiti (cùm hæc quædam sit revelata, quædam arcana,) tamen quædam voluntas placiti est quædam voluntas signi. Notandum autem est, quod sint, qui voluntatem signi appellatam putent ab eo, quod sæpè fit in sacris, dum Deus præcipit quædam, qs ea præcisè vellet, cùm tamen nolit ita, ut præcipit, v g. quando Abrahamo mandat mactationem filii, non cædem Isaaci, sed explorationem obedientiæ Abrahamiticæ tantùm intendebat *Gen.* XXII, 2. item cum permittit peccata, quæ severè prohibuit, videtur ea qs. velle, quia non impedit *Rom.* IX, 22. Sed hoc modo partialis tantùm esset ratio appellationis: nec omnia præcepta essent voluntas signi.

§. 177. Signa voluntatis divinæ id significant, quod Deus reverâ vult, non autem quod primo adspectu apparet Deum velle. Quæ apparent, & videntur quibusdam, cùm tamen non sint, ea Deus non vult. Itaq; hæc ita apparent non omnibus, sed iis tantùm, qui voluntatis divinæ modos objectaq; varia non benè distinguunt: iis

iis autem qui rectè judicant de modis illis & objectis, voluntas signi nunquam aliter apparebit, atq; est, & nequaquam contrariari videbitur voluntati placiti, licet ab ea diversa sit. Frustrà ergò est Piscator *contr. Schaffman. th.* LXXV, LXXVI. quando inquit: *Deus interdum verbo significat, se velle, quod tamen non vult. Deum, quod linguâ profitetur, idē velle, non semper, nec in omnibus verum est. Ex verbo Dei constat, Deum etiam reprobos ad quos ad salutem vocare: & interim tamen nolle, ut ullus reproborum salvus fiat, quippè quos omnes immutabili decreto ad exitium destinavit.* Similia videbis apud Ferrium *in spec. schol. orth. p 384. 386.* Calvinum *l. I. inst. c. 18. n.* 4. Wendelinum *l. I. Christ. theol. c. 1. thes. 18.* Bezam *part. II. resp. ad act colloq. Montisb. p. 174. Dices* (1) obstat exemplum Abrahami, cui Isaaci mactationem præceperat Deus, quam tamen non volebat (2) exemplum Ezechiæ, cui Deus mortem annunciavit per Esaiam, quam tamen non voluit (3) exemplum Ninivitarum, quibus internecio intra diem quadragesimum denunciata, non tamen executioni data est. (4) exemplum Pharaonis, cui Deus præceperat dimissionem populi Israelitici *Exod.* V, 1. IX, 1. & tamen induraverat cor ejus, *Exod.* VII, 3. X, 27. (5) exemplum Simei, in collatione locorum, *Exod.* XXII, 28 cum II. *Sam.* XVI, 18. (6) hâc ratione voluntas signi & placiti non essent distin-

distinctæ, sed eadem. *Resp.* ad 1. α si literæ insistas, exsecutio optimè concordat cum mandato: mandatum hoc erat, העלהו עולה — fac adscendere in holocaustum, h.e. actus sacrificiales adorna, in eum finem, ut Isaac sit holocaustum. Hoc exsecutus est Abraham *Hebr.* XI, 17. β fuit mandatum hypotheticum, *h m.* nisi posteà aliud jussero. γ dist. inter mandatum & δοκιμασιαν. Ad 2. Hiskias moritutus erat, si spectes naturæ concursum & media ordinaria, vel secundum decretum ordinis divini; non moriturus secundum decretum privilegii extraordinarii. Ad 3. erat denunciatio conditionata, nisi resipuerint. Ad 4 Mandare Pharaoni dimissionem populi & indurare ejus cor fluũt ex decretis disparatis, non cõformatis. Prius erat nomotheticum; posterius criticum. Ad 5. dist. inter voluntatem approbantem & permittentem. Ad 6. Si signa spectes, ut à Deo ipso per ea aliquid designatur, reverâ concordãt voluntas signi & voluntas beneplaciti; at n. ut à nobis primo adspectu concipi solent, non præcisè id significant, quod Deus reverà vult. Et hinc divisio illa orta est.

§ 178. Voluntas Dei libera *alia* est, quâ vel ipse pro se aliquid vult aut facere, aut permittere creaturæ, ut à se non impedita faciat, quod velit: *alia* est, quâ vult à nobis aliquid fieri. Hæc divisio est Augustini in *Enchirid. c. C.* estq; utilissima.

sima, ac transfunditur per totius Theologiæ latifundium. Exempla prioris voluntatis sunt decretum creationis, conservationis, redemtionis: posterioris exempla sunt, quâ vult nos in Christum credere. *Joh. V, 36.* & sancte vivere *I. Thes. V.* Posterior voluntas iterum est duplex: aut enim fit absq; ullâ ad faciendum id, quod vult ipse, cooperatione nostrâ: aut respicit actum hominis, quem vult ab ipso fieri, eumq; vel antecedit, vel sequitur.

§. 179. Voluntas hæc *vel* est absoluta, *vel* conditionata.

§. 180. *Absoluta* est, quâ Deus simpliciter & sine ulla conditione seu præsenti, seu futurâ; vel consequenter & post impletam conditionem vult aliquid: sic absq; ullâ conditione vult Deus creare mundum, mittere filium in mundum: consequenter v. g. conditione prius positâ jam impletâ vult aliquid simpliciter & determinatè v. g. fideles salvare, impœnitentes damnare. De utriusq; generis voluntate absolutâ valet illud *Es.* XLVI, 10. *Perficio omne, quod volo.*

§. 181. *Conditionata* voluntas est, quâ Deus sub certâ cõditione præstandâ vult aliquid, aut non vult, *Matth.* XXIII, 37. Calvinianorum non pauci prorsus negant, dari voluntatem conditionatam in Deo. Piscator *ad tract. Vorstii de Deo p.* LVIII, *art.* 4. Maccovius *disp. III. de prædest. p.* 8.

Wen-

Wendelinus *l. I. Theol. Christ. c. 1. p. 71.* Spanheimius *de grat. univers. p. 2219.* contrà expressa scripturæ loca, quæ nonisi conditionatè intelligi possunt, ut *Num.* XIV, 12. (nisi mediator interveniat,) I. *Sam.* XIII, 13. (si steterit in obsequio. Ubi ipse Piscator suioblitus *in qq. ad h. l. p. 115.* sententia est, inquit, conditionalis, videl. pendens ab hac conditione, si Saul mandatis divinis obediviſſet,) *Dices*; volitum fuit conditionatum, non ipsa voluntas. *Resp.* utrumq́; , & res volita, scil. regni continuatio, & voluntas continuandi divina. Addi possunt loca, in quibus leguntur promissiones conditionales, quæ supponunt voluntatem conditionalem I. *Sam.* II, 30 (si Eli maneret Deo fidelis,) *Dices*; non sequitur illatio. *Resp.* Qualis effectus, talis causa. Polanus *l. II synt agm. c. 9.* concedit quidem, conditionatam esse DEI voluntatem quandam, statuens Deum absolutâ voluntate electos velle salvare, eundem etiam reprobos velle salvare, si credant in Christum: sed ille defectum hujus conditionis adscribit Deo, cùm certum sit, & electos per fidem salvari, non v. absoluto decreto, absq́; intuitu conditionis impletæ, (ubi nota, quod, quando docemus, Deum promittere salutem absq́; ullâ conditione, vel cum solâ conditione fidei, tunc (1) non separamus opera à fide, sed tantùm à salute, & negamus, esse ea conditionem, sub quâ Deus salutem

lutem nobis dare vult. Non n. nisi unicam conditionem novimus, sub qua nobis Deus salutem offert & dare vult, quæ fidei est, non ut opus illa est, aut qualitas, sed ut organum, & quidem non operans salutem, sed saltem recipiens objectum ad salutem nobis propositum, quod est Christus cum omni merito suo in justitiam nobis imputabilis, & solus salutem afferens. Undè apparet, ad rem non facere, quod Bellarminus *l. V. de justif. c 2.* replicat, gratuitum non debere opponi conditionali, nec esse idem quod absolutum, alioqui nec promissionem evangelicam fidei conditionem requirere. Nè gratuitum enim non opponitur organo recipienti donum ad salutem, sed saltèm conditioni operum, ut perpetua sit oppositio inter conditionem operum & gratiam *Rom.* XI, 6. (2)non negamus, promissiones remunerationem pietatis pollicentes ad Evang. pertinere, sed non ad essentiam salutis illæ spectant, verùm ad ea, quæ salutem nudè antecedunt, ac proin secundariæ sunt, non primariæ. Neq; opera, quibus aliquid promittitur, aliter considerant, quàm, partim ut signa fidei, per quam jus vitæ æternæ jam obtentum; partim ut conditio & qualitas subjecti salvandi, ex amore Dei sese ritè componentis ad voluntatem & in honorem Dei, sanctèq; caventis, ne fide excidat & promissâ spe frustretur) & defectum

ctum conditionis quærendum esse in homine. *Dices* (1) Ergo Dei voluntas pendet ac determinatur à causa externa (2) E. extrà Deum in creaturis est aliquid Deo prius, majus & præstantius (3) E. aliquid in DEO est effectum creaturæ (4) Ergò temporale prius est æterno, & creaturæ actio in tempore, actionibus internis Dei ab æterno (5) E. est in Deo voluntas indefinita, confusa & universalis, adeoq; transitus voluntatis divinæ ab indefinita ad definitam. (6) E. Deus vult concursum suum voluntati humanæ accomodare, si homo vult; adeoq; fingitur destinare tanquam futurum, quod jam præsupponit futurum (7) Deus istas conditiones aut vult evenire, aut non, aut neq; vult, neque non vult, h. e. quid de eventu ipsarum fiat, non curat. Non illud *Ps. CXV, 3.* Non istud; quia aliàs frustrà destinat finem. Nec hoc; quia hoc modo neq; curabit finem s. salutem. *Resp.* ad 1. Divina scientia præsupponit scibile, absq; illius ab hoc dependentia, determinatione ac reali præexistentia. Quando g. à quibusdam dicitur, voluntatem DEI conditionatam dependere à volitione hominis, locutio est non propria, sed abusiva. Nam stricte loquendo, pendere ab aliquo est legem & normam actionis ab aliquo accipere: jam Deus à voluntate humana non accipit legem & normam volendi, quia est αὐτεξούσιος & suæ voluntatis author: proindè in volendo nullius arbitrio est subjectus,

sed pro libero arbitratu statuit volitionem creaturæ tali vel tali volitione & non aliâ excipere. Ad 2. 1. conditio prævisa propriè non est causa volitionis divinæ. 2. neq; omnis causa est nobilior effectu; equus equi generati causa est, haud sane nobilior. Ad 3. nulla est sequela: non enim statim est passivum in Deo, quod nos passivè concipimus v. g. generatio, spiratio &c. Ad 4. Non statim, quod concipitur prius, etiam reapse prius est, adeoq; nec temporale præexistit æterno. Finis in intentione prius concipitur, licet in exsecutione nondum sit. Disting. inter conditionem actu positam & præscitam. Ad 5 Aliud est, indefinitum esse simpliciter, aliud individualiter v. g. definitissimè verum est regem Galliæ esse immortalem, licet quoad hoc individuum falsum sit. Deindè aliud est confusè concipi in via inquisitiva, aliud, ut universale proponi in via auscultativa. Prior confusio Deo repugnat; non autem hæc posterior. Ad 6. disting. inter velle & non repugnare. Non illud; sed hoc homo potest in sui conversione. Ad 7. Vult Deus utiq; conditionem fidei evenire, sed non absolutè, verùm, si homo non repudiet.

§. 182. Conditionata voluntas non est prorsus alia ab ea, quæ respectu consequentiæ absoluta dicitur. Duo includit conditionalis voluntas 1. *formaliter* & expresse actum simplicis complacentiæ, 2. *eminenter* & implicite efficacem aliquam, & absolu-

lutam voluntatem, quæ quidem actu non est, donec conditio in Dei intellectu infallibiliter prævisa impleatur, esset tamen, si conditio præstaretur: Prout v. manente simplici complacentiâ in absolutam vertitur per præstationem conditionis; ita ex parte conditionis est conditionata. Actus ergò voluntatis divinæ, quo Deus vult omnes salvos fieri, est (1) conditionatus ex parte objecti, quo DEUS omnes homines salvos fieri vult, si modo ipsi velint debita salutis media adhibere, ut ex Patribus censent Chrysosthomus, Ambrosius, Theophylactus, Oecumenius: ex Doctoribus Scholasticis, Thomas, Sotus, Catharinus, Gregorius de Valent. Molina. (2) etiam ex parte objecti absolutus, complacentiæ tantùm cujusdam simplicis, non efficacis volûtatis, qui virtualiter continet alium actum efficacem, qui esset, si conditio ex parte objecti poneretur, docente Vasquetzio *T. I. d. 83. c. 3. f. 329.* Utrumq; verum esse potest, & nihil obstat, duos hos actus ratione nostrâ distinctos dari in Deo, ut tandem fatetur Swaretz *l. IV. de prædest. c. 2. n. 10.* Alius enim est actus simplicis complacentiæ de re quapiam; alius est actus per modum insecutionis & qs. intentionis conditionatæ, nec unus repugnat alteri.

§. 183. Conditionalis voluntas semper impletur, etiamsi conditio non impleatur. Ut enim conditionata voluntas uni eidemq; homini propositas

simul promissiones ac minas complectitur; sic semper in homine impletur alterutrum. Nam ut homini salus, si credat; damnatio, si non credat, denunciatur: sic is, qui credit, certo salvatur: qui non credit certò damnatur. Voluntas enim Dei, quæ ante illam determinationem est conditionalis & inabsoluta, post illam determinationem humanæ voluntatis transit in simplicem & absolutam, quæ statuit vel præmiare, vel punire, prout homo, de quo Deus aliquid vult, suam voluntatem determinavit.

§. 184. Voluntas salvationis est conditionata, includens conditionem fidei. Probat hoc (1) Scriptura plurimis in locis *Act. XIII, 48. Joh. III, 16. 36. XVII, 20 Rom. XI, 20, 22, 23. Eph. I, 4. III, 1. 17. Jac. II, 5. Hebr. XI, 6. Tit. I, 1. I. Tim. I, 16. I. Pet. I, 1. 2.* Inprimis præclarus locus est *II. Thess. II, 13.* ἑλέξατο ὑμᾶς ὁ θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, καὶ πίστει ἀληθείας. Hic Paulus ponit α *subjectum eligens*, quod est Deus β *objectum electionis* in voce ὑμᾶς, quâ specificativè designantur dilecti Thessalonicenses, repræsentativè etiam alii homines peccatores, non quatenus homines, nec quatenus peccatores, sed ut finaliter Christum recepturi γ *tempus* in voce ἀρχῆς, quæ hic non notat principium ἔναρχον, s. prædicationis Evangelicæ, ut vult Vorstius *in h. l.* sed ἄναρχον *Mich. V, 2.* quod probant

bant Tarnovius *Comm. h. l. p. 138.* Christophorus à Castro *comm. h. l. p. 335.* Paræus *l. II. Calv. Judaiz. opp. c. 42. p. 304.* δ *medium exhibitivum* ex parte DEI, ἁγιασμὸν πνεύματος, s. ministerium verbi *II. Tim. I, 9. Joh. XVII, 7.* ε *medium receptivum* à parte nostrâ, nempe πίστιν ἀληθείας, fidem infucatam (2) rationes: α Electio facta est κατὰ πρόγνωσιν. Prævisio a. DEI respicit fidem Christum apprehendentem, unde ad sanguinis adspersionem, quæ nonnisi per fidem fit, refertur *I. Pet. I, 2.* β Electi sumus in Christo: E. intuitu fidei. Regerunt Embdani *in act. Synod. Dordr. p. I. p. 581.* aliud esse, in Christo esse, quod fit in tempore per fidem: aliud, in Christo eligi, quod factum est ab æterno. Et Amesius *in coron. collat. Hag. art. I. c. 3.* dicit τὸ ἐν Χριστῷ referri debere, non ad electionis objectum, vel homines electos, qs. in Christo priùs fuerint, sed ad actionem Dei. Idem dicit Triglandus *in tract. de grat. elect. p. 198.* τὸ (*in ipso*) non referendum esse ad pronomen (*nos*) sed ad verbum (*elegit*) Maccovius in *colleg. Theol. quæst. de prædest. Franekeræ Anno 1618. & 1619. publicè disputatarum Disp. VI.* contendit, *Eph. I, 4, 5.* verba ἐν αὐτῷ per trajectionem posita esse, nec referenda ad ἐξελέξατο, sed ad τὸ εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους. Rationes affert α quia τὸ εἶναι construendum est necessariò cum ἐξελέξατο, cùm nullum sit aliud, quod præcedat

infinitivum Esse. Sensus ergo hic foret: elegit nos esse in Christo β ostendit hoc versus antecedens tertius, cui respondet hic quartus. Nam dicit, benedixisse nos Deum omni benedictione, quæ est in Christo: & docet, electos nos esse ad hoc ab æterno, ut in illo nobis benedictiones istas conferret. Sed *Resp.* (1) in genere: In Christo hic nihil aliud est, quam intuitu Christi ejusq; meriti fide finali apprehendendi, per ac propter Christum. Eligere in Christo, est eligere propter Christum, sic ut Christus electionis hujus causa sit ac fundamentum; fides v. causa organica, Christum cum omni suo merito recipiens. Electi sumus in Christo, quatenus intuitu pretii à Christo pro nobis exsolvendi, nobisq; per fidem finaliter applicandi electi sumus. Nam particula ἐν hic non saltem est characteristica ordinis, sed etiam causalitatis, & notat causam meritoriam ac fundamentum. Hinc resolvitur in characteristicam causalem διὰ v. 5. Quin & particula ἐν, per usitatum Hebraismum, sepe significat propter. Sic dicimus justificari per redemptionem in Christo, quatenus virtute meriti redemtionis, quæ in Christo infinita est, coram tribunali Dei absolvimur à reatu. *Rom. III, 24. conf. Gen. XXIX, 18. Deut. XXIV, 16. Ezech. XVIII, 17. 18. Luc. XXII, 20. 28. Rom. XII, 5. XV, 17. I. Cor. XV, 22. Gal. II, 17.* (2) in specie: ad 1. ratione præviſionis fidei electi sumus ab æterno: ratione ipsius actus inserimur

mur Christo in tempore. Ad 2. nulla ratio probabilis afferri potest, cur determinatio illa ἐν χριστῷ, referatur tantùm ad Deum eligentem, non v. simul ad homines electos, cùm tn. iidem legantur ἐν χριστῷ benedicti in tempore v. 3. Ad 3. & quidem ad α Non valet conseq. Infinitivus esse regitur à verbo ἐξελέξατο. E. τὸ ἐν αὐτῷ referendum est ad τὸ εἶναι ἡμᾶς non ad ἐξελέξατο. Eâdem facilitate contrà Maccovium concluderem: Participium προορίσας v. 5. regitur à verbo ἐξελέξατο. E. τὸ ἐν αὐτῷ referēdum est ad participium προορίσας, non ad τὸ εἶναι ἡμᾶς. Ad β characteristica similitudinis καθὼς arguit eandem esse causam temporalis benedictionis, atq; æternæ electionis, quia utraq; dicitur facta esse in Christo. Contrà hanc conditionatam voluntatem salvationis Calviniani multa regerunt. Embdani *part. I act. injudicio de art. I. p. 582.* & Ursinus in *expl catech. p. II, p. 215.* quatuor inprimis opponunt (1) Deus prædestinavit nos in adoptionem. E. adoptione est prædestinatio, adeoq; & fide prior (2) Deus prædestinavit nos εἰς αὐτὸν in se. E. nihil extrà se, adeoq; nec fidem consideravit. (3) εὐδοκία tollit præviſam hominis fidem: est enim beneplacitum Dei, ex quo fidem dat, fide prius, ac proinde fides ejus causa movens esse nequit, (4) prædestinavit nos ad laudem gloriosæ gratiæ suæ. Hæc gratia omni

modo gratuita esse non posset, si aliquid in homine foret, quo ad gratiam hanc conferendam moveretur Deus: nec solius DEI hâc ratione gloria esset. *Resp.* ad (1) confunditur electio cum executione: adoptio est effectus electionem consequés. Et sic electio est prior adoptione. Fides considerata sub ratione causæ organicæ Christi meritum apprehendentis, concipitur, non ut prior vel merito Christi, ad quod tanquàm ad suum correlatum terminatur, vel electionis, cujus προθέσεως ingreditur, sed prout simul est cum merito Christi & cum electione. Breviter: Fides simul est cum electione, ratione prævisionis: posterior eâ ratione exhibitionis & actualis apprehensionis. Ad (2) a per concessionem largiendo, posse verba εἰς αὐτὸν, habere vim exclusivæ, excludentis non quodvis, sed causam meritoriam extraneam, qualis est meritum operum & ipsa fides habitualiter spectata. Unde Vorstius in *LL. CC. ad Eph. I.* & Paræus in *comm. ad Rom. IX. dub. 6.* fidem ut medium ad finem electionis ordinatum admittunt. β καθ' ἄνθρωπον, quod Piscator in *Anal. Log. h. l.* verba εἰς αὐτὸν, non restringit ad causam efficientem, sed finalem. Ad (3) committitur fallacia ignorationis elenchi: confunditur gratia cum ipsa electione. Concedimus principalem electionis causam esse εὐδοκίαν in Christo, & hoc modo fidem non esse electionis causam, sed dilectionis divinæ in Christo effe-

effectum, quo pacto omnia Christi beneficia dicuntur esse effecta divinæ electionis & dilectionis. Ratione gratiæ electionis fides posterior est; ratione ipsius electionis simul est, ceu organica causa cum suo causato. Ad (4) est elenchus oppositorum. Fides considerata ut organum apprehensivum non opponitur gratiæ gratuitæ, sed operibus *Rom. IV, 16. XI, 6.* Hoc loco autem non consideratur ratione dignitatis suæ, ut meritum, sed ratione χέσεως, ut organum apprehendens Christum redemtorem. Hinc dicimur electi esse non ob, vel propter fidem, sed in fide, per fidem, s. secundum fidem, κατὰ πρόγνωσιν, juxtà præscitum fidei perseverantis. Paræus in *Act. Synod p. I, p. 294.* Molinæus *ibid. p. 396.* Embdani *p. 582.* Censores Leidenses in *Cens. c. XVIII, p. 247.* ex illis verbis *Eph. I.* ἵνα ἡμᾶς ἁγίους, probant fidem electione esse posteriorem, quia fides est sanctitatis pars. Verum *Resp.* Fides consideratur vel absolutè & habitualiter, prout est virtus primi præcepti, pertinens ad art. de L. & B.O. vel relativè, prout Christi meritum apprehendit. Priori modo est primaria pars sanctitatis ad I. Tab. pertinentis: posteriore modo non existit quidem solitaria extrà sanctitatis consortium, sola tn. antecedenter ingreditur actum electionis. Duplex enim fidei actus est, primarius alter, alter secundarius. Ille consistit in fiduciali apprehensione obedientiæ Christi, prout est

imputabilis ad salutem: hic in exercitio vel studio bonorum operum *Gal V; 6.* Illa ipsa quidem fides, quæ per charitatem efficax est, ingreditur actum electionis, sed non quoad hunc actum, *i.* quatenus per charitatem operatur. Alia est propositio; Fides, quæ operatur, est causa electionis organica: alia; Fides quia, vel quatenus operatur. Illa est nudè specifica, & objectum ab adjuncto nudè describit: hæc v. ostendit principium, quo influit in effectum. Sicut rectè dico; Pater, qui est Christianus, me genuit: non autem; Pater, quatenus Christianus. Prior enim à nudo adjuncto specificat subjectum; posterior verò modum influxus subjecti in prædicatum importat. Alii ex *Actor. XIII, 48.* probare conantur, electionem esse priorem fide, quia sit causa fidei: causa autem prior est suo causato. Sic enim Lucas ait: Ἐπίστευσαν, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. *Resp.* 1. Propositio Lucæ non est reduplicativa causæ, sed specificativa subjecti. 2. Evangelista non dicit τεταγμένοι, sed τεταγμένοι. Ordo a. ille respicit media divinitùs instituta, per quæ in hominibus ordinem istum observantibus Spiritus S. fidem accendit, ista v. respuentes in incredulitate sua relinquit. Patet hoc ex contextu. Nam, cùm Judæis verbum annunciaretur *v.* 43. 44. ipsi contradixerunt *v.* 45. inde eis pœna denunciatur *v.* 46. quod nimirùm gentibus verbum debeat annunciari. Harum igitur

tur vocatio confirmatur *v.* 47. studiumq; ipsarum & reverentia ergà verbum Dei commendatur *v.* 48 Quare de his ordinem divinum præscriptum non adspernantibus dicitur: crediderunt, quotquot erant ordinati, h.e. crediderunt illi, quos Deus ordinem salutis observaturos esse prævid erat, & illi9 intuitu ad salutem & vitam æternam destinârat.

§. 185. Voluntas Dei alia est *antecedens*, alia *consequens*. Distinctione hâc non tollitur simplicitas voluntatis divinæ, sed designantur diversi actus volēdi ex distincta objectorum habitudine & consideratione orti. Sive; distinctio hæc accipitur non ex parte ipsius voluntatis divinæ in se, sed ex parte volitorum. Habet hæc distinctio fundamentum in Scripturâ. Sic voluntate antecedente voluit Deus regnum Saulis stabilire super Israel in sempiternum I. *Sam.* XIII, 13. Sic antecedente voluntate ad nuptias vocantur per servos ut venirēt, qui invitati erant: consequente v. voluntate indigni ejiciuntur in ignem æternum *Matth.* XXII, 23. XXIII, 27. (*Luc.* XIX. 44.) conf. *Luc.* XVII, 30. (*Act.* XIII, 46.) Approbatur à Patribus, Damasceno *l. II. de O. F. c. 24.* Chrysost. *Tom. IV. serm. super Eph. I.* Theophylacto *super Eph. I.* à Doctoribus Scholasticis, Thomâ *p. I. qv. 19. a. 6* Bonaventurâ *l. I. sent. dist. 4.* Quomodo autem à diversis diversimodè accipiatur hæc distinctio, prolixè docent Franciscus Svaretz *l.* III. *de attrib. Dei posit. c. 8. f. 159.* Gabriel

Vas-

Vasquez *disp.* XXCIII, *c.* 3 *f.* 329. Adamus Tannerus *Tom.* I. *fol.* 522. *Disp.* II. *de Deo qv 10. dub.* 3. Martinus Becanus *Tom. I. oper. Theol. f.* 43 Exsibilatur tn. à Calvinianis nonnullis, Molinæo in *Synodo Dordracena*, vid. *act. Synod. p.* 408. & aliis. Nos hic observamus, voluntatem antecedentem & consequentem relativè dici, ideoq; attendendus est respectus. Est v. hic respectus geminus: unus est volitionis divinæ ad volitionem divinam, illius ut antecedentis, ad hanc ut consequentem. Unum enim volitum Deus prius vult, quàm alterum. Alter est volitionis divinæ ad volitionem & actum hominis vel antecedentem, vel consequentem: & hujus respectu dicitur antecedens; illius respectu consequens. Uterq; respectus huic distinctioni causam dedit, non v. ut Calviniani volunt, prior tantùm. Sanè est quoq; ordo divinorum volitorum, antecedentis & consequentis, in quo omnia actum creaturæ præcedunt: sed insuper etiam est alius ordo inter volita, quorum unum præcedit, alterum v. sequitur volitionem & actum creaturæ. Verum enimverò uterq; ordo in hac distinctione includitur, quia voluntas Dei antecedens dicitur etiam respectu voluntatis humanæ, quam antecedit, & consequens, quæ volitionem humanam sequitur. Ita voluntas creandi præcedit actum hominis *Ps.* CXV, 3. voluntas puniendi sequitur voluntatem hominis malam *Os.* XIII, 19. Cùm enim

omne

omne objectum prius fit actione agentis circa illud versantis, opus est, ut etiam peccator & actus peccato perpetratus sit in mente Dei præscitus, priusquàm de pœnis peccatoris statuatur.

§. 186. Voluntas Dei *antecedens* est, quâ vult aliquid creaturæ rationali, antè omnem vel certum actum illius. Propterea enim vocatur antecedens, quia considerationem obedientiæ & inobedientiæ hominum præcedit, & respectu constat simplici, quo benefica Dei voluntas æqualiter se habet ergà omnes. Voluntas *consequens* est, quâ vult aliquid creaturæ rationali, post actum aliquem, seu etiam post actus multos illius. Consequens appellatur in negotio salutis, quia considerationem obedientiæ & inobedientiæ subsequitur, & respectu constat determinato, prout eadem voluntas se habet ad homines τάξιν illam mediorum ipso actu vel sequentes, vel negligentes.

§. 187. Antecedens & consequens voluntas Dei non sunt contrariæ. Contrariæ Dei voluntates tum inducerentur, si statueretur, duas volitiones affirmativè contrarias esse circà unum, idemq; & uniforme objectum: quod hic dici nequit. Prior enim voluntas Dei versatur circà hominem, quà homo est, non habitâ ratione circumstantiarum in objecto: posterior v. versatur cum circumstantiis, ac earum rationem habet circà hominem, quatenus est vel fidelis & obediens, vel incredulus & inobediens.

diens. Sic antecedente voluntate Deus vult omnes homines salvare, si credant; si v. non credant, vult eos damnare voluntate consequente. Itaq; distinctæ quidem, non tamen contrariæ sunt voluntates, quia licet volitum, quod Deus consequenter vult, contrarium sit ei, quod est volitum voluntate antecedente, quorum unum est salus, alterum damnatio: tamen volitio non est contraria propter diversam rationem objecti, secundum quam voluntas antecedens, & consequens diversum vult: neq; v. mutatur vel corrigitur voluntas antecedens, sed, quæ prius erat voluntas conditionata, postea ex prævisione DEI impletâ conditione transit in absolutam.

§. 188. Antecedens voluntas Dei, si comparetur cum voluntate determinata, est potius velleitas & desiderium, quàm voluntas, quia ipsa non est determinata: reverà tamen est voluntas secundum quid, quia idipsum secundum quid volumus, quod antecedenter volumus. Sic docet Thomas *p. I. qv. 19. a. 6.* Ratio est, quia voluntas determinata respicit res prout in seipsis sunt: tunc enim dicimus determinatè & simpliciter velle, quando aliquid volumus consideratis omnibus circumstantiis. Interim non negari potest, hoc desiderium aliquo modo vocandum esse voluntatem secundum quid: Quodcunq; enim pertinet ad intellectualem appetitum Dei, id non potest nisi ad voluntatem ejus referri. Sed desiderium &c. E. &c.

§. 189. Antecedens voluntas, & desiderium Dei, quod ea includit, non tollit ejus perfectionem: Deo enim nihil desiderat, ut habeat, sed ut creaturæ habeant: & id, quod Deus desiderat, absq; ullâ passione, inordinatione & infirmitate desiderat: & sicut, si voluntas antecedens impletur, nihil ex illo ad Deum ipsum, sed ad creaturas aliquid accedit perfectionis; ita quoq;, etsi non impleatur desiderium, Deus non destituitur aliquâ perfectione, aut infirmus est, aut ægritudinem inde acquirit. Non itaq; tollit antecedens voluntas Dei sapientiam, justitiam, potentiam & beatitudinem. *Non sapientiam*; quia Deus nihil desiderat ratione hominum, quod non congruat cum divina sapientia: & si sepè non obtinet finem particularem, separatim & distinctè consideratum, semper tamen obtinet generalem finem, eoq; nunquàm frustratur. *Non justitiam*; nam ex naturali Dei bonitate s. propensione ergà homines desiderium Dei est beneficum: ex justitia autem Dei decreta sunt justa, sancta & perfecta. Quinimò determinata voluntas Dei de singulis incredulis damnandis est conjuncta cum desiderio eos salvandi, nisi incredulitas eorum impediret. Duplex autem est amor in Deo: unus ergà creaturam; alter v. ergà justitiam suam: hic exigit, ut ita tantùm Deus amet creaturam & bonum ejus, ne impingat in justitiam propriam, sed creaturam peccantem odio habeat ac puniat.

Nam

Nam amori creaturarum Deus præfert amorem justitiæ suæ, quippe quam amat ex necessitate naturæ, nec potest seipsum abnegare, cùm creaturas saltèm amet libere, easq; etiam possit non-amare. Proindè justitia est moderatrix bonitatis in DEO, quæ bonitas, & quæ ex ea est, velleitas Dei, semper manet etiam cum secundum justitiæ præscriptum determinatâ voluntate vult damnari creaturam peccantem *Deut.* XXVIII, 63. *Ps.* XI, 5. 7 *Es.* I, 25. LXVI, 4. *Non potentiam*; posset enim Deus, si vellet, tali potentia uti in homine salvando, quâ salus cuivis eveniret, sed justitia (cujus cum potentia datur suavissima harmonia,) ejus hoc impedit requirens ab homine fidem & pœnitentiam, ceu actus liberos, postquàm homo à gratia Dei præventus accepit supernaturales vires. Ideoq; modum illum salvandi hominem, s. velit, s. nolit homo credere, exercitio potentiæ divinæ justitia non permittit. *Non beatitudinem*; tùm, quia ex bono creaturæ, quod Deus desiderat, si desiderium hoc impletur, non Deus, sed creatura redditur felix; tùm, quia, si desiderium hoc non impletur, per contumaciam creaturæ Deo resistentis, ipsa quidem creatura redditur infelix, sed beatitudini divinæ nihil decedit.

§. 190. Voluntas antecedens *ordine* tantum, non *duratione* prior est voluntate consequente. Sunt n. ambæ hæ volitiones ab æterno, quia Deus unico

unico & individuo actu vult, quæcunq; vult: nec necesse est, ut exspectet tempus, quo conditio ponatur, sed ab æterno eam prævidet, & secundum prævisionem fidei vel incredulitatis eligit vel reprobat, & vult vel beare, vel damnare. Rectè tamen voluntas Dei ex objecto ratione modi & ordinis, secundum quem in objecta fertur, potest distingui. Undè fit, ut voluntas ejus distinctè hunc vel illum, cum eum spectat ut hominem, velit salvare conditionatè, si credat, & eodem tempore illum, quatenus credit, ac ut talem considerat, præcisè velit salvare.

§. 191. Itaq; antecedens voluntas non tollitur aut rescinditur per consequentem. Quemadmodum enim voluntas conditionata duo includit, scil. formaliter simplicem complacentiam, & eminenter voluntatem absolutam vel determinatam judiciariam, quæ tamen actu non est, donec conditio non impletur: sic manente simplici complacentiâ & desiderio, antecedens voluntas Dei transit in absolutam. Deindè, non desinit voluntas antecedens, quando consequēti locus est, sed positâ voluntate antecedente conditionali, reipsâ ponitur absoluta, vel præcisa, vel determinata: & ut Deus determinatè idem velit, quod voluit sub conditione antecedenter, non requiritur aliud, quàm conditionis vel præsentia, vel absentia: imò v. quando po-

sitâ conditione præcisè aliquid vult de illius, quod ita consequente voluntate volitum est, (si objectum bonum est,) oppositio, manet in DEO velleitas, h. e. antecedens voluntas v. g. tunc, quando Deus vult aliquem damnare ob incredulitatem, nihilominus est in illo desiderium salvandi talem hominem si incredulus non esset.

§. 192. Salus hominum à Deo primitùs intenditur, nequaquàm v. perditio: primò n. & per se vult Deus bonum creaturæ, malum non intendit, nisi creatura peccet, & malum pœnæ mereatur *Es. XXVIII, 21.* Exhinc lucem accipere potest illud Tertulliani *de resurrect. carnis*, quando ait: *Deum de suo optimum, de nostro justum esse*, h. e. Deum ex intrinseca bonitate benefacere: quod v. exerceat justitiam vindicatricem & puniat, ex nobis esse, qui nostrâ culpâ voluntatem eam mereamur. Nequaquàm tamen hinc sequitur, ratione ipsius Dei voluntatem salvandi meliorem esse voluntate puniendi: Hominis quidem respectu præstat salvari, quàm damnari: quoad Deum v. ista comparatio locum non habet: sivè enim salvetur, s. damnetur homo, gloria Dei, nempe justitiæ ejus distributivæ, semper patefit.

§. 193. Itaq; Deus voluntate antecedente seriò intendit omnium hominum salutem. Porismati huic probãdo unicus scripturæ locus sufficiet

I. Tim.

I. Tim. II, 4. θεὸς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι. καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. Hic habeo (1) *voluntatem Dei*, quæ intelligitur seria & efficax, quantum ex parte Dei, adeò ut filium redemtorem miserit, & tùm propensione animi naturali, tùm liberâ determinatione velit nos salvos facere (2) *objectum voluntatis* divinæ *personale*, quod sunt omnes homines, voce omnis non αἱρετικῶς, sed πληρωματικῶς sumtâ. Nam illos salvari vult DEUS, pro quibus offerendæ sunt precum & deprecationum hostiæ; pro quibus Christus factus est victima, λύτρον, ἀντίλυτρον; quos vult ad veritatis intellectum pervenire. Atqui omnes &c. *Marc. XVI, 15* E &c. conf. *Matth. XXVIII, 19. Act. XVII, 30. Es. LXV, 2.* (3) *objectum voluntatis reale*, quod est salus, nempè spiritualis & celestis, quam solam consequimur agnitione veritatis, & cujus participes reddimur Christi mediatoris acquisitione & merito (4) *medium ad salutem*, quod est agnitio veritatis. *Joh. VI, 40. XIV, 6. XVII, 3. II. Cor. II, 14. 16.* Variè hunc locum distorquent adversarii. Guilielmus Perkinsius *de prædest. & grat. Dei oper. Theol. f. 138.* dicit 1. locum intelligendum esse non de omnibus Adami posteris, sed propriè de hominibus in ultima ætate mundi 2. Deum velle omnes salvos fieri, eos nimirum, qui salvantur. 3. Deum

velle non singula generum, sed genera singulorum. 4. Paulum loqui ex affectu secundum judicium caritatis Christianorum, non secundum judicium occultæ & infallibilis certitudinis, s. prout se res habet juxtà veritatem essentiæ. Zanchius *de Nat. Dei l. V. c. 2. p. 4.* Piscator *cont. Schaffman. th. CVI. p. 143.* explicant *h. l.* 1. de voluntate signi, non beneplaciti 2. συνεκδοχικῶς, quâ totum accipitur pro parte. Petrus Strigosus Bonaventuræ commentator *fol. 461.* dicit, Paulum loqui de Christo-homine, qui secundum voluntatem humanam tantum velit omnium salutem. Daniel Chamier *de prædest. l. VII, c. 6 f. 105.* dicit, velle Deum σωθῆναι omnes, sed nolle σῶζειν. Petrus Molinæus *in anatome Arrianismi cap. XXVI, f. 174.* dicit, velle hîc nihil aliud esse, quàm invitare & vocare, ut sensus sit: Deus invitat, non serio cupit. Lambertus Danæus *Isag. part. V. f. 199.* & Paræus *in Irenico f. 259.* dicunt, Deum velle omnes servari, si ad veritatis agnitionem perveniant Piscator *cont. Hemming. de grat. Dei p. 151.* Calvinus *in Ezech. XVIII, 23. p. 353.* dicunt, Deum velle omnes salvos fieri voluntate revelatâ, non absconditâ. *Alii* distinguunt inter voluntatem approbationis & decreti: *alii* inter βουλησιαν & εὐδοκιαν Dei: *alii* aliter. Verùm omnes hæ opiniones à veritate nimium quantum! deviant. Perkinsii interpretatio prima

ma falsissima est, *tùm*, quia non est analoga fidei *Ezech. XXXIII, 11.* *tùm*, quia contradicit textui, qui omnium hominum meminit: *tùm*, quia aliquid alieni textui affricat, nempè, particulam *nunc*. Secundam habet quidem Augustinus *l. I. de prædest. sanct. c. 8. l. de corrept. & grat. c. XIV. l. IV. cont. Julianum c. 8.* & *Epist. CVII. ad Vitalem.* Fulgentius *l. de incarn. & grat. Christi cap. XXXI.* Anshelmus & Haymo *in h. l.* Amplexus quoque eam olim fuit Lutherus adhuc Augustinianus *Tom. II. Germ. Jenens. f. 489.* sed recessit posteà ab ea *Tom. I. Lat. Witteb. p. f. 438.* & in *c. II. Mich. Tom. IV. Lat. Jenens f. 551.* Sufficiat nobis, quod eam refutet, infantilemq; vocet Chamier conf. Vasquetz *Disp. XXCIII. c. 12.* Tertiam quoque ipse Chamier minus accommodam ac duram vocat f. 105. Quod quartam attinet, distinguimus inter Dei δόσιν & λῆψιν. Δόσις, quæ in verbo Dei explicatur, nobis non cadit sub judicium caritatis, sed veritatis *I. Joh. V, 10.* Λῆψις v. an fiat à proximo meo, certitudine statuere non possum, sed locum ibi habet illud Pauli, *I. Cor. XIII, 7.* charitas omnia credit, omnia sperat. De me ipso v. prævià probatione debità certò possum statuere *II. Cor. XIII, 5. Gal. II, 20.* Interim quoad alium possum ex effectis judicare de causa *II. Tim. I, 5.* Zanchii & Piscatoris primæ explicationi obluctatur id, quod voluntas signi non

est propriè voluntas, seu volitio aliqua Dei, sed impropriè tantum & metonymice sic dicta, notante, præter Vetustiores, Tannero *Tom. I. disp. 2. qv. 19. dub. 30. f. 522.* cum quo hanc expositionem rejicit Vasquetz *Tom. I. Disp. XXCIII. c. 2. f. 83.* Secundæ opponimus canonem illum Theologicum: Proprius & literalis dicti Biblici sensus retinendus est, nisi necessitas cogat ad figuras profugere. Strigosi errori reponimus, quod voluntas Christi in negotio salutis non discrepet à voluntate & consilio patris cœlestis *Joh. V, 30. VIII, 40.* Quinimò, Deus est ipsa caritas: quomodo ergò humana voluntas Christi potest propensior esse ad salutem, quàm Dei? *I. Joh. IV, 8.* Verissimè Ambrosius inquit in *I. Tim. Tom. III f. 448.* Dei & Christi una est voluntas in salvandis hominibus. Chamier insigniter errat, dùm σώζειν & σωθῆναι tanquàm ἀντικείμενα habet. Quis dabit σωζομένους ἄνευθεοῦ σώζοντος? *Matth* XVIII, 11. I. *Tim.* I, 15. IV, 10. salvatio passiva præsupponit activam. Molinæus gratiam facit simulatam, non seriam, contrà *Ezech.* XVIII, 23. *Matth* XXIII, 47. Danæus impium Sophistam agit, dum duas affirmativas simplices in unam compositam cogit, sed hypotheticam. Fortissima contradictio est: Deus vult omnes ad agnitionem veritatis pervenire. Et; non vult omnes ad agnitionem veritatis pervenire, loquendo de eodem genere

voli-

volitionis divinæ. De ultima opinione suprà egimus. Nostra sententia super *h.l.* est, Deum voluntate antecedente omnes homines velle salvos; voluntate v. consequente non nisi eos, qui finaliter credunt. Sic convicti nonnulli ex Adversariis nobiscum asserunt, Deum seriò velle omnium hominum salutem, juxtà hoc dictum Apostolicum, Videatur Adamus à Contzen Jesuita in *Rom.* IX. *f.* 367. Becanus *Tom. I. f.* 71. Lorichius in *Thes. novo f.* 805.

§. 194. Voluntas alia est *efficax*, quæ semper impletur: alia *inefficax*, cui resistitur ab hominibus, quoties peccant. Hæc divisio est Augustini, dextrè accipienda, ne Deo imputetur hæc inefficacia, sed hominis malitiæ: per accidens n. fit inefficax, quatenus Deus non vult efficere, nisi prius actus, quem ab homine fieri vult, præstetur: postquàm v. actus iste, quo posito Deus vult operari, ab homine præstitus est, efficax etiam est voluntas quoad actum secundum, h. e. vult efficere ac producere actionem à se intentam v. g. Christus Judæos voluit ad se congregare *Matth.* XXIII. *Joh.* V, 34. Hic voluntas Christi, quæ antecedit fidem à Judæis requisitam, h. e. quâ vult eos salvare, si credant, potest non-impleri, quia fieri potest, ut homines, quos Deus vult credere, non credant: & cum credunt, voluntas Dei impletur semper, nec ei resisti potest:

vult enim Deus credentes præcisè justificare, &, si perseverent, salvare omnipotentia sua, eâdem sc. quâ Christum excitavit ex mortuis. Ubi simul observetur, incommodè allegari pro voluntate efficaci *Rom.* IX, 20. nec contineri ibi verba Apostoli, sed Judæorum doctrinæ Pauli se opponentium.

§. 195. Adjuncta voluntatis divinæ præcipua sunt simplicitas, infinitas, æternitas, immutabilitas, sanctitas.

§. 196. Volitio divina est *simplicissima*. Nam 1. unico & simplicissimo actu appetit *tùm* se ipsum & bonitatem suam, *tùm* omnia bona creata in sua ipsius bonitate *Es.* XLIII, 7. *Eph.* I, 5. 6. Neq; multitudo objectorum adquæ terminatur voluntas Dei, simplicitati ejusdem regugnat. Nam voluntas divina non habet rationem potentiæ volentis, quæ transeat in actum, cum in alia, atq; alia objecta tendit, sed est ipse actus ultimus, nec dependet ab objectis, ut ab iis in actum traducatur & perficiatur, sicut voluntas humana. 2. Si in creatâ volitione sepe possunt uno actu plura objecta appeti; multò magis fieri hoc potest in volitione infinita: sed verum prio. Nam potest homo unâ volitione appetere finem & destinatum ad finem v. g. ægrotus sanitatem & pharmaca. Ergò etiam Deus bonitatem suam ut finem, reliqua omnia ut destinata ad finem unico actu potest appetere. §. 197.

§. 197. Volitio Dei est *infinita* s. *independens*. Non n. movetur Deus ab aliqua causa extrinseca, imò, ne ab objecto quidem, quod non sit ipse: quin & volitio ipsius finis non est ei causa volendi media ad finem ducentia, quanquàm velit media ad finem adipiscendum apta ordinari in finem: creatura tamen ejusq; actio & passio licet non sit causa προηγουμένη, potest esse προηγεμένη I. *Sam.* II, 30. *Jer.* XVIII, 17.

§. 198. Volitio Dei est *æterna*: nihil enim de novo vult, quia nihil ei de novo potest bonum esse vel videri. Est tamen *ordinata*, s. respicit ordinem rerum, circà quas versatur. Sic ordine prioritatis vult creationem: post, prævisо lapsu, restitutionem hominis lapsi: post, dationem sponsoris & satisfactoris: post, ordinationem mediorum: post, prædestinationem eorum, qui media amplectuntur, & reprobationem eorum, qui media repudiant.

§. 199. Volitio Dei est immutabilis *Mal.* III, 6. I. *Sam.* XV, 29. Id enim quod Deus intrà se velle cognoscitur, nihil aliud est, quàm immutabilis ejus essentia: cum autem voluntas consideratur circà objectum ad extrà, tùm distinguẽdum inter mutationem voluntatis & rerum volitarum. Deus non vult res mutabiliter; vult tamen rerum pro hac vel illa circumstantia mutationem; si enim Deus mutabiliter vellet res,

tùm vel desineret velle id quod ab æterno voluit, eo modo quo voluit fieri, esse & manere res in tempore; vel inciperet & vellet, quod vel omninò noluit fieri, vel, ut nondum fieret, decrevit. *Illud* argueret in Deo boni anteà ignorati subsequentem cognitionem: *hoc* fieret ex improvisa rei mutatione, aut suscepti consilii retractatione, quod utrumq; est absurdum. Nam, quod semel Deo bonum fuit, aut tale visum est, perpetuò quoq; bonum est, & tale videtur. II. *Tim.* II, 19. *Ps.* CXIX, 39. Eleganter Augustinus *l.* XXII. *de C. D. c. I. Cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, v.g. reddatur iratus: illi potius quàm ipse mutantur, & eum quodammodo mutatum in his quæ patiuntur inveniunt: Sicut mutatur sol oculis sauciatis, & asper quodammodo ex miti, & ex delectabili molestus efficitur, cùm ipse apud seipsum maneat idem qui fuit.* Conf. *l. V. de Trin. c. 16.* Conveniunt ea, quæ habet Thomas, *p. I. qv. 19. a. 7. Considerandum est, quod aliud est, mutare voluntatem, & aliud est, velle aliquarum rerum mutationem: potest enim aliquis eâdem voluntate immobiliter permanente velle, quod nunc fiat hoc, & postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle, quod prius non voluit, vel desineret velle, quod voluit.* Per hoc facile resolvi potest, quod scriptura Deo pœnitentiam tribuit *Gen. VI, 6.*

§. 200. Dei volitio est *sancta*, & nonnisi in rectum fertur. Sanctitas divina est tale adjunctum voluntatis Dei, quâ ab omni peccato est libera, & nihil potest nisi rectum velle *Lev.* XI, 44. *Job.* XXIV, 19. *Psal.* XCVI. II. Pet. I, 19. Apoc. VI, 10.

CAPUT XII.
DE
Sanctitate DEI.

§. 201. *Sanctitas* DEI etiam dicitur rectitudo & æquitas, item, justitia universalis: *rectitudo*; quia nunquam à recto deflectit: *æquitas*; quia habet justi & æqui respectum: *justitia universalis*; quia quicquid boni est & justi in omni affectuum, virtutum & propensionum genere, hoc sanctitati Dei convenit θεοπρεπῶς, ut illud velit & agat.

§. 202. Dei sanctitas est summa & immensa *Exod.* XV, 11. I. *Sam.* II, 2. VI, 20. Hinc meritò concludit Eusebius Cæsariensis Episcopus *lib. VIII. Evang. demonst. c. 2.* neminem ex creaturis sanctum sanctorum appellandum. Sunt quidem etiam creaturæ intelligentes per operationem Spiritûs S. sanctæ, verùm non per essentiam, sed per gratiam. Et quamvis Angeli boni & beatæ animæ nunquàm labantur actu, & ad miseriam redigantur, tamen in eas cadit peccati ac miseriæ posibilitas, cùm nemo nisi Deus sit per essen-

sentiam sanctus. De hâc possibilitate intelligendus videtur locus *Job.* XV, 16. *ne cœli quidem*, h. e. exponente Schindlero *in Lexico*, celites *coràm te mundi sunt*, munditie essentiali, ac tali, quæ non possit admittere oppositum, nempè possibilem immunditiem.

§. 203. Quia Deus summè sanctus est, ideò non agit contrà naturam, nec contrà legem suam. Zwinglius *Tom. I, serm. de provid. c. 5.* respondere volens ad objectionem, (*si Deus homines ad peccata impellit, sequitur ipsum peccare,*) negat consequentiam, *tùm*, quia Deus sit exlex, nec ab aliis leges accipiat: *tùm*, quia sit justus, justo autem non sit lex posita *I. Tim. I, 9. tùm*, quia habeat jus absolutum in omnes creaturas, ac potestatem faciendi, quicquid velit: proindè quamvis hominem impellat ad peccandum, ipsum tamen non peccare censet. Sed rectè Calvinus *lib. III. Inst. c. 43. sect. 2.* hanc sententiam perstringit, statuens, Deum suammet legem esse: licet ergò non sit alterius legi subjectus, tanquam altissimus, non tamen est exlex, sed ejus bonitas, sanctitas, sapientia, veritas ipsi pro lege sunt. Qui v. nihil facit contrà naturam suam sanctam, ille etiam nihil facit contrà ἐκτύπωμα & effigiem naturæ suæ sanctæ. Atqui Deus II. *Tim.* I, 13. E. &c. Ad 1. rationem Zwinglii *Resp.* verum quidem esse, quod DEUS à nemine legem accipiat ad agen-

agendum, DEUS tamen sibimet ipsi est lex, nec potest aliquid velle aut agere, quod cum seipso pugnet. *Deindè*, si Deus ideò potest velle malum, & ut homo peccet, quia nullas leges ab alio accipit, sequitur etiam Deum posse velle mentiri, quia normam dicendi verum ab alio non accipit. In 2. ratione manifesta est ψεῦδος ἐν μηνείᾳ loci citati, quia Paulus loquitur de maledictione legis, quæ justo non κεῖται, h.e. non ita est posita, ut eum premat: minimè verò agit de lege ipsa, quæ lata est, ut sit norma sanctitatis. In 3. ratione malè extendit Dei liberum jus & potestatem ad moraliter contraria, cùm Dei libertas versetur tantùm circà contradictoriè opposita, & circà physice, non ethicè contraria. *Dices* 1. si Deus sibi lex, sequitur Christum non satisfeciisse; quia legem posuit ne innocens pro nocente luat. 2. Deus voluit α polygamiam & incestum Jacobi, β mendacium obstetricum Aegyptiacarum γ furtum Israelitarum vasa Aegyptiorum auferentium δ rebellionem Israelitarum contra Rehabeam. E vult ea, quæ sunt contraria suæ legi. *Resp.* ad 1. Aliud est lex, aliud legis dispensatio. Potest Deus dispensare circà legem à se latam, non violando eam, nec detrahendo ei aliquid, sed transferendo impletionem ejus ab eo, qui non potest implere, in eum, qui potest, & qui sponsorem se offert ad satisfaciendum:

dum: sic Christus non de jure plectitur, sed quia seipsum obtulit sponsorem. Ad 2. & quidem ad a (1) Deus Polygamiam neutiquam præcepit, sed toleravit, inprimis quia Patriarchæ ita fecerunt non libidinis causâ, sed propter sobolis procreationem, & maximè desiderio seminis promissi, quod ex illis nasciturum erat. (2) Conjugium Jacobi non fuit propriè incestus, nec per se malum: Nam non omnia peccata sunt sua natura mala, sed quædam mala, quia DEUS ea non vult; quædam v. ideò Deus non vult, quia injusta sunt & mala. Jam ducere sororem conjugis, est malum ideò, quia Deus illud non vult, sed certo tempore lege prohibuit, non v. ideò est malum, quia natura sua tale est, aliàs sequeretur, Adami filios non potuisse ducere suas sorores: longè enim majus est suam ipsius sororem, quàm uxoris sororem ducere. Nec obstat, quod incestus cum jure naturæ pugnare dicatur; hoc enim verum est de jure naturæ secundario, quod vocatur jus gentium; non autem de jure naturæ primævo. Quando ergò multiplicati sunt homines, aut nulla alia fuit causa divinitùs approbata, ob quam quis duceret uxoris sororem, jus naturæ secundarium violari cepit. Quinimò DEUS ipse in Judaica politia legem sanxit, ut quis duceret fratriam, h e. fratris sui nullum semen post se relinquentis uxorem, quam

quam non potuisset statuere, si ducere fratriam suâ naturâ & simpliciter esset malum quoad jus naturæ primævum: sequeretur enim Deum abnegare seipsum, & contrà naturam, h. e. contrà seipsum aliquid jubere, quod est absurdum. Sicut ergò Deus in politia judaica ex certa causa voluit, ut in hoc casu, si frater non reliquisset semen, unus ex fratribus ejus duceret uxorem; ita quoq; potuit Jacobus in hoc casu, ubi deceptus fuit à Labano, retinere Leam à se jàm maritali congressu agnitam, & nihilominus quoque Rahelem, cui jam anteà promiserat matrimonium, superinducere. Ad β simulatio vel dissimulatio, quæ non tendit in perniciem proximi, non est propriè dictum mendacium, nec peccatum. Ad γ 1. Furtum est peccatũ, non ideò, quia sua natura malum est, sed, quia Deus id non voluit, verùm prohibuit: jam illa, quæ tantùm ideò mala sunt, quia Deus ea non vult, potest permittere certas ob causas & certo respectu. 2. ablatio vasorum Aegyptiacorum non fuit furtum propriè dictum, tùm, quia facta quidem est invito Domino inferiore, sed jubente Domino supremo, qui mercedem Israelitis pro labore à Pharaone debitam voluit hâc ratione reddere, atq; ita ab Aegyptiis abstulit jus dominii, quo abusi erant *Sap.* X, 17. Homines enim sunt quidem proprietarii bonorum suorum Domini respectu

spectu aliorum hominum, Dei autem respectu tantum sunt usufructuarii. Sic quando Magistratus tollit mandatum de non-venando, non amplius peccant subditi. Ad ℔ voluit permissionem rebellionis ex justa ira.

§. 204. Sanctitas Dei spectatur in affectibus & virtutibus.

CAPUT XIII.

De

Affectibus DEI.

§. 205. Affectus Deo tribuuntur *vel* propriè & per se, *vel* κατ' ἀνθρωποπάθειαν & similitudinem quandam ab humanis affectibus desumptam.

§. 206. *Propriè* Deo tribuuntur affectus, qui simpliciter perfectionem in se includunt, & propter illam primariò Deo, secundariò v. creaturis intelligentibus competunt: quamvis enim hi affectus præter perfectionem quam significant, etiam aliquas imperfectiones in creaturis involvant, tamen his remotis, id, quod perfectum est in talibus affectibus, DEO est tribuendum. Affectus enim in DEO non est accidens, non passio aut perturbatio, quia Deus est simplex & citrâ ullam inordinationem, quippè in Deo non sunt sensus, proindè nec signa & appetitus sensuum & intellectûs.

§. 207.

§. 207. Affectus DEO propriè competentes sunt *Amor* & *Odium*.

§. 208. *Amor* Dei est affectus, quo cum re amata unitur, & vel seipsum, vel creaturas amat. *Objectum* amoris divini est vel primarium, vel secundarium. *Primarium* est Deus ipse, ejusq; attributa seu proprietates. Nihil n. amat Deus ut seipsum, ceu summum & perfectissimum bonum, quia ipsi nihil est par, multò minus ipso aliquid superius; quod si ipso esset aliquid majus & præstantius, tum illud magis quàm se diligeret. *Secundarium* objectum amoris divini est creatura *Sap. XI, 25.*

§. 209 Amor Dei, quo seipsum amat, est, cum in suæ naturæ & subsistentiarum suarum perfectione sibi complacet, seq; ipso fruitur. Sic Deus amat justitiam suam, & Deus Pater amat filium, idque necessario & naturaliter *Matth. III, 10. XVII, 5. Joh. III, 35. V, 20. XIV, 31. Col. I.* *Dices*; Filius traditur à Patre pro mundo. E. mundum magis amat, quàm filium. *Resp.* traditur in mortem non tolerandam ratione divinæ naturæ, cujus respectu intimè amatur, sed ratione humanæ naturæ: ex gratiâ autem diligit filium, quà homo & creatura est. Deindè, si mansisset filius in morte, aut periisset, magis dilexisset mundum; nunc a. non item.

§. 210. Amor Dei ergà creaturas est, quo propendet ad unionem cum creaturis, ut iis bonum suum communicet, & vocatur *Bonitas* Dei ergà

creaturas. *Nota*: Amor 1. charitas Dei in scriptura dicitur vel *passivè*, quâ DEUS à nobis amatur *1. Joh. III, 17.* vel *activè*, quâ Deus nos diligit *Rom. V, 5.* Posterior significatus est *h.l.* Communicat a. Deus bonum suum, quando vult condere creaturas, & inclinat ad benefaciendum creaturis jam existentibus. Undè etiam generali nomine dicitur χρηστὸς, s. (utilis) Bonitas Dei *Tit. III, 4.*

§. 211. Bonitas illa vel est *benignitas*, vel *misericordia*.

§. 212. Benignitas Dei est propensio ad benefaciendum creaturis, *vel* quâ talibus, *vel* quâ officium facientibus. Ebraicè hæc specialis bonitas dicitur חסד *à benefaciendo*; quæ vox sæpè etiam vertitur *misericordia*: sed misericordia proprie est affectus ergà homines, & quidem miseros factos: Benignitas autem latior est, & extenditur ad quosvis Dei beneficiarios. Bonitatis Dei generalis *actus* s. exercitium est quadruplex (1) *circà nihilum* nempe creatio *Gen. I, 31. Prov. IV, 11.* (2) *circà creaturam, quatenus creatura est:* Deus n. ex bonitate sua creaturam vult conservare, movere, & cum actionibus ejus concurrere *Ps.* XXXIII, 5. XXXVI, 4. (3) *circà creaturam officium facientem juxtà verbum Dei.* Deus enim taliter se habentem creaturam ex bonitate mera evehit ad statum feliciorem, & majus illi bonum communicat, quàm per creationem obtinuit, & per generalem conservationem obtinet *Psalm. XXXIV, 11. Es. LXII, 6. Thren. III, 25.* (4) *circà creatu-*

turam peccatricem, propter peccatum miseriæ obnoxiam. Hanc enim Deus ex mera bonitate liberat à peccato, & quoad reatum ac damnationem, per remissionem in justificatione s. regeneratione; & quoad dominium per sanctificationem in renovatione *Ezech. XVI, 6. Rom. V, 9.*

§. 213. Misericordia Dei est propensio voluntatis, quâ creaturæ miseræ, & quidem seductæ, non obstante peccato, vult opem ferre. Addo, *seductæ*: quia non diaboli, sed solius hominis à diabolo seducti miseretur: undè & φιλανθρωπία dicitur *Tit. III, 5.* Cæterùm misericordia sæpe latè usurpatur (1) pro ipso amore & bonitate, quatenus ad omnes creaturas se extendit, & nihil aliud est, quàm bonitas latissimè dicta *Psal. CXLV, 16. Mal. V, 45.* (2) propriè de affectu Dei ergà miseros speciali, in quo significatu non rarò etiam generis nomine appellatur *Psal. XXXVII, 1. CVIII, 1. CXIX, 68. CXXXVIII, 3. Jer. XXXI, 11. Thren. III, 25. Neh. IX, 25.* ubi bonitas pro misericordia usurpatur.

§. 214. Misericordiæ effectus est duplex: unus, *peccati remissio*; alter *pœnæ* vel *mitigatio*, vel *ablatio*.

§. 215. Misericordia in Deo est propriè ac per se. Nam omnis amor DEI ergà creaturas propriè ac per se inest DEO, quod docet abstractiva locutio *1. Joh. III, 4.* Quæ autem in contrarium afferuntur definitiones misericordiæ ex Aristotele *lib. II. Rhetor.* Cicerone *IV. Tusc.* Senecâ *l. de clement.*

Augustino *l. X. de C.D. c.5.* quod sc. *misericordia sit ægritudo animi concepta ex alterius miseria:* hæ inquam, non nisi humanam misericordiam describunt. *Dices;* Justitia est in Deo. E. non misericordia: sunt enim contraria. *Resp.* In sunt, sed pro diverso respectu subjecti: alio enim respectu res objicitur miserationi divinæ; alio respectu justitiæ ejus vindicatrici: & huic quidem quoad meritum, ac reatum peccati; illi v. tùm quoad decretum, quo Deus voluit amissam salutem iterùm fieri communicabilem; tùm quoad illum actum, quo voluit reddi placabilis per satisfactionẽ Christi. Nam misericordiæ divinæ ergà homines miseros sunt distincti *actus*: (quorum tamen unus alteri arctissimè innectitur,) *primus* est, quo homini à Sathana seducto voluit salutem, salvâ justitiâ, fieri reparabilem: *secundus* est, quo voluit satisfieri justitiæ suæ pro homine, misso filio, & reconciliationem per ejus obedientiam perfectissimam legi præstitam acquiri: *tertius*, quo vult obedientiam filii sui per fidem applicare homini peccatori, necessitatem & indigentiam suam agnoscenti, ac propterea vult, ut omnes credant, &, si credant, salventur: *quartus* est, quo jam actu credentes gratis salvat. Diversus igitur hic est respectus: Justitia versatur circà peccatorem *vel* promeritum iram, *vel* facientẽ, ut ira super ipsum maneat: Misericordia autem circà hominem (1) quatenus per Sathanam seductus est. Et sic miseria hominis

Deo

Deo est occasio, non præbita per hominem, (homo n. peccato suo præbet occasionem ad iram,) sed à DEO contrà naturam peccati sumta (2) ut jam per satisfactionem Christi ipsi reconciliatio est acquisita (3) ut per fidem sibi applicat reconciliationem acquisitam. Misericordia temperat justitiam, non per ablationem aut remissionem debiti, sed per translationem à reo in vadem exactissimè satisfacientem: creditor non læditur, modò solvatur debitum, s. id fiat à debitore, s. ab alio. Justitia vindicativa requirit quidem eandem personam ratione legis, sed ratione Evang. admittit personam aliam.

§. 216. Amoris & bonitatis divinæ adjunctum quoddam est *Gratia Dei*, secundum quam DEUS creaturas amat, & earum miseretur, non tantum *gratiosè*, s. benevolè, sed & *gratis*, h. e. non ex debito, aut beneficiarii merito, neq; , ut sibi aliquid accedat, sed tantum, ut benè sit rei amatæ: hinc Deus distinctè misericors dicitur & gratiosus *Psal.* XXCVI, 15. CIII, 8. CX, 4. Vox gratiæ accipitur *vel* passivè & per metonym. effecti, ac notat *donum gratuitum*, per gratiam concessum gratis: *vel* activè & propriè designat ipsam *benignitatem Dei* & misericordiam gratis exhibitam hominibus, quæ proindè in hominibus non *subjectivè*, sed *objectivè* est, quatenus mens regenerata eam in DEO ergà se agnoscit. Porrò actus gratiæ totidem sunt

quoi bonitatis; ic. *gratia* creationis; conservationis; *gratia* ergà hominem lapsum, prout ei DEUS salutem amissam iterum vult fieri communicabilem, misso filio suo in mundum; ut pro eo satisfaciat; *gratia* placabilitatis, quâ Deus per satisfactionem hominibus lapsis factus est iterum placabilis, ita ut velit eos salvare, si credant in Christum; *gratia* imputationis, quâ per imputationem meriti Christi fide apprehensi actu placatur peccatori; *gratia* sanctificationis &c.

§. 217. Quæritur; *An Deo competat odium?* Thomas *I. cont. gentes. c. 96.* Ferrariensis & Capreolus videntur simpliciter negare, Deum aliquid odio habere. Thomæ verba tamen Swaretz *LIII. de attrib. Dei. c. 7. n. 5.* restringit ad odium personarum, aut rerum existentium, ut tales sunt, juxtà *Sap.* XI, 25. Nos dicimus, Deum omninò odio habere peccatum. Nam illud odio habetur, quod secundùm se ita displicet, ut illius destructio appetatur: sed voluntati divinæ maximè displicet peccatum ratione suæ malitiæ, ob quam illud destrui cupit: ergò est in Deo verum ac proprium odium peccati. Et consequenter est etiam odium peccatoris, non ut homo, sed ut peccator est. Proindè hæc phrasis; *Deus odio habet impium, & odit omnes qui operantur iniquitatem,* licet in sensu materiali sit valdè impropria, tamen formaliter intellecta de odio peccati & peccatoris ut peccator est, propriissimè intel-

intelligenda est, quia licet natura & forma hominis non displiceat Deo secundùm id, quod ab ipso habet, displicet tamen peccator ratione ἀξίας, quam à se habet.

§ 218. *Odium* Dei est appetitus removendi creaturam peccatricem & ejus peccatum. Differt ab ira Dei: *hæc* enim est affectus mixtus ex tristitia & ulciscendi desiderio; *illud* v. absq; tristitia & ira esse potest. Etenim sapiens, nullo tristitiæ affectu interveniente, odium habere potest ergà ea, quæ virtutibus obsunt: *Odi ingratum*, inquit Scaliger, *neq; cõmoveor: non offendit me iniquus judex, quem tamen odi, ut meritus est.*

§ 219. Odium Dei ergà creaturam peccatricem, quatenus peccatrix est, *naturale* est. Dum n. Deus amat se & sanctitatem suam, non potest non odisse & aversari impietatem, & creaturam, quæ rea est impietatis, licet eandem creaturam, quâ creatura est, amet, ejusq; felicitatem appetat. Ideoque existente peccato necessariò illud Deus aversatur, & propter illud creaturam peccatricem: Undè malè sit Photinianis, qui dicunt, *Deum liberè odisse malum:* si enim liberè odit, potest etiam non-odisse, atq; ita amare malum, contrà *Ps. V, 5.*

§. 220. Odium Dei non est collaterale amori Dei, quoad omnes amoris actus. Nam (1) odium non opponitur amori, quo Deus seipsum diligit (2) quo creaturam diligit, quà creatura est, & ho-

minem, quà homo est, quia nihil eorum, quæ Deus fecit, quatenus facta sunt, potest odisse. Sed (3) illi actui amoris ergà creaturam, quo vult placari homini propter Christi meritum, si credat, opponitur odium generale, de quo *Rom.* V, 8. & 10. & denique (4) illi actui amoris divini, qui dicitur amor complacentiæ, & se exserit ergà credentes, opponitur odium speciale, quo excludit incredulos à salute, sicut per amoris illius actum beatitudine *tùm* spirituali, *tùm* æternâ afficit credentes.

§. 221. Affectus *impropriè* Deo competentes sunt, qui Deo per analogiam quandam ab humanis affectibus desumtam, propter affectus quosdam Dei creaturarum sic affectarum affectibus similes tribuuntur. Differunt à prioris classis affectibus affectus hujus generis 1. quia *illi* sunt primitivi & versantur circa bonum & malum in communi: *hi* autem sunt derivativi, s. à primis orti, ac versantur circà bonum & malum, quatenus præsens, vel absens est 2. *illi* propriè Deo competunt præter imperfectionem, quæ in creaturis sic affectis tantùm reperitur: *hi* autem non propriè, sed metaphoricè de Deo dicuntur.

§. 222. Affectus Dei per ἀνθρωποπάθειαν denominantur ab affectibus hominis, *vel* in concupiscibili, *vel* in irascibili animæ parte consideratis. Hæc distinctio facta est nostro considerandi modo, & ad ea, quæ in concupiscibili ac irascibili animæ nostræ parte sunt, analogiam habet.

§. 223. In *concupiscibili* animæ nostræ parte affectibus nostris similes sunt in Deo, desiderium, abominatio, gaudium, dolor & pœnitentia.

§. 224. *Desiderium* est voluntas Dei seria, quâ requirit à creaturis rationalib9 fidem & bona opera, ac vult illis præmia dare. Differt ab amore. *Illud* enim est rei absentis; *hic* præsentis: undè *illud* impropriè, & per meram similitudinem; *hic* proprie ac per se Deo competit. *Illud* hominibus est, ad habendum aliquid, quo perficiantur, Deus autem desiderat tantùm ad agendum. *Dices*; Deo omnia sunt præsentissima. E. nullum in eo desiderium. *Resp.* Absentia est *vel* temporis, *vel* loci: *illius* ratione datur desiderium. Tempus quidem de Deo negatur, quatenus sc. ipse non est in tempore: alias ratione creaturarum Deus quoque spectat tempus. Infallibilitas Dei non aliter quidem se habet ad creaturas, (modò scientiæ divinæ,) ac si essent præsentes: interim tamen easdem quoq; spectat, ut futuras, alias nesciret contingentia. Futurum tempus Deo est præsentissimum, non quoad existentiam, sed quoad præscientiam. Aliud autem est esse præsens; aliud, se habere ut præsens, sc. ratione divinæ prævisionis.

§. 225. *Abominatio* est, quâ exsecratur peccata, *tàm* quod repugnent suæ justitiæ; *quàm*, quod impediant præmia gratuita, quæ alioquin paratus est nobis largiri.

§. 216. *Gaudium* est affectus Dei ex rei convenientis præsentia. Res Deo convenientes sunt, fruitio sui ipsius, obedientia creaturæ *Ps.* LXXXI, 14. & communicatio bonitatis suæ *Es.* LXII, 6. nec non hostium suorum interitus: qui postremus affectus est voluntas judiciaria *Prov.* I, 24, 25.

§. 227. *Dolor* est affectus, quo Deus offenditur sibi odiosâ inobedientiâ creaturarum, & occasione blasphemandi nomen Dei præbitâ à populo suo *Gen.* VI, 6. *Jer.* XXVIII, 9. 10. Dolor in genere est offensio animi, indè orta, quod patitur aliquid, à quo dissentit, tanquàm ab eo, à quo se lædi sentit: & ad dolorem pertinet *pœnitentia*, quæ propriè est dolor hominis de suis factis *vel* ex errore commissis, *vel* ex infirmitate judicii, *vel* ex inconstantia voluntatis & affectuum editus. Talis dolor & pœnitentia Deo nequaquam convenit *Num.* XXIII, quia in Deum non cadit ignorantia vel error, nec voluntatis mutabilitas: ideoq; nonnisi metaphoricè illi dolor tribuitur, quando homines impietate suâ illum proritant ad puniendum. Et pœnitentia itidem de Deo prædicatur metaphoricè, quatenus est mutatio voliti vel facti prioris ob creaturæ rationalis improbitatem *Gen.* VI, 6 I. *Sam.* XIII, 29. Aliud est, mutare voluntatem, quod absit, ut Deo tribuamus: aliud verò mutationem rerum aliquarum velle hoc tempore, ac cessante conditione sub qua Deus voluit prius rem eandem esse. *Mutatio*

non

non datur *in DEO*, sed *in rebus*: mutatio *effectorum*, non *voluntatis*.

§. 228. In *irascibili* animæ parte affectus DEO per similitudinem tributi sunt Spes, Desperatio, confidentia & ira, nec non metus, spei affirmativè oppositus.

§. 229. *Spes* est, quâ exspectat Deus obedientiam à creaturis rationalibus gratiâ suâ præstabilem. *Deut.* XXX, 2. *Luc.* XXIII, 6. *Es.* V, 4. In spe vel exspectatione hominum tria sunt consideranda (1) contingens possibilitas rei expectatæ (2) persuasio exspectantis de re exspectata (3) rei exspectatæ desiderium in sperante. Sed in divina spe duo tantùm locum habent (1) quod res, quam Deus ab homine exspectat, sit contingens, & ita futura, ut fieri etiam non-possit: licet enim Deus concurrat ad hominum opera bona, tamen, eo non obstante auxilio & cooperatione, ab hominibus contingenter fiunt. (2) quod vere & sincere desideret bonum & actionem, quam ab homine dicitur exspectare. Respectu v. persvasionis de rei speratæ contingentia Deo non competit spes, quia DEUS non probabiliter, sed infallibiliter & præsenter novit rerum speratarum contingentiam, quam illæ habent, *tùm* in se, *tùm* in divina scientia. Itaque Deus exspectare dicitur id, quod à nobis gratiâ suâ præventis desiderat, idq; nondum existit actu, sed potest esse quatenus est contingenter futurum, *h.e.*

tale,

tale, quod vel fieri, vel non fieri possit. *Dices*; multis hominibus non confertur gratia præveniens. *Resp.* Probandum est, Deum non velle conferre omnibus gratiam sufficientem, cùm tamen omnibus notitias naturales implantaverit, non quidem ut sint medium agnitionis divinæ, sed occasio, sicut in forum prodire non est medium, sed occasio inventi fortè thesauri. Interim sufficit contrà Calvinianos, nullum dari exemplum inter vocatos, cui non sit data gratia sufficiens, audito verbo: de iis a. qui extrà ecclesiam sunt, nostram ignorantiam profitemur, certi nihilominus de voluntate Dei, quod seriò omnes homines velit salvos.

§. 230. *Desperare* dicitur Deus, cum creatura pertinaciter gratiæ divinæ se opponit, & Spiritui S. resistit *Jer.* XIII, 23. *Dices*; Deus omnibus mandat fidem in Christum. E. ab omnibus exspectat obedientiam, adeoq; non potest desperare. *Resp* Exspectat Deus fidem, sc. debitam, sed non ab omnibus præbitam, qui malitiosè resistunt. Quoad primam & generalem intentionem Deus ab omnibus exspectat obedientiam, non autem quoad exsecutionem oblatæ gratiæ, quæ ex occulto Dei judicio non ex æquo omnibus offertur. Omnib9 mandatur fides quaten9 omnes possunt habere media fidei, non quatenus omnes usurpant. Gratia præveniens tollit *naturalem* resistentiam, non *malitiosam*: aliàs omnes auditores converterentur, quorum

rum tamen multi resistunt Spiritui S. Resistentia naturalis potius *privativè*, quàm *positivè* est exponenda, scil. de impotentia credendi, quæ tollitur per oblatum verbum & collatas vires supernaturales, quibus tamen homo potest non-uti. *Instas*; homo in conversione habet se merè passivè, E. non potest resistere. *Resp.* habet se merè passive, quoad certum actum gratiæ prævenientis, quæ est collatio virium supernaturalium, quas sentit, ut possit non-consentire: Quoad exercitium v. virium collatarum requiritur hominis cooperatio, undè homines dicuntur *σύνεργοι*. Gratia præveniens est irresistibilis, quatenus nemo potest impedire, quin Deus ipsi offerat gratiam: interim ratione assensus homo eidem potest resistere.

§. 231. *Confidentia* Dei est, quâ bonum desideratum prosequitur, & malum exosum repellit *Deut.* XXXII, 35. *Es.* LXIII, 3. *Ezech.* XIII, 13.

§. 232. *Ira* Dei est, quâ creaturæ peccatrici infert malum pœnæ, & vindictam sumit de ea, ceu judicem amoris ergà justitiam suam, & odii ergà peccatum. Ira est affectus depulsionis, quo id, quod displicet, depellimus. Propriè est cupiditas depellendi id, quod displicet, & dolorem inferendi ei, quod læsit, orta ex fervore & ebullitione sanguinis circà cor. Videatur Aristoteles *II. Rhetor. cap. 3.* Augustinus *epist* CXVI. Lactantius *lib. de ira Dei c.* XVII. Hugo *in lib. de sacram.* Hæc omnia DEO pro-

proprie non competunt, quia essentia ejus spiritualis est, atq; adeò nec cor habet, nec sanguinem, quo possit efferveſcere, nec cupiditatem quandam seu affectum: Deo autem tribuitur θεοπρεπῶς, ratione punitionis. *Neq; enim ejus perturbatio significatur, qualis est in animo irascentis hominis: sed ex humanis moribus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est, iræ nomen accepit;* inquit Augustinus *in enchirid. cap.* XXXIII. Et quidem sicut ira de homine dicitur *vel formaliter*, prout notat affectum puniendi, *vel metonymicè*, prout notat pœnam; (sicut magistratus *Rom.* XIII. dicitur vindex esse in maleficos εἰς ὀργὴν h. e. *iram* s. pœnam infligendam,) sic etiam Deo tributa sumitur duobus modis (1) prout notat voluntatem puniendi in Deo, quæ, si gravior est, dicitur furor *Deut.* XXIX, 30. quatenus fert sententiam in peccatore exsecutioni dandam, vocatur judicium, *Rom. II, 3.* quatenus latam sententiam exsequitur, nominatur vindicta *Ebr.* X, 30. (2) effectivè, pro ipsa pœna divina, quæ ex ira infligitur *Ps.* II, 11. *Mich.* VII, 9. *Rom.* VI, 15. XIII, 5. Porrò, ira Dei, prout notat pœnam ipsam, alias etiam habet appellationes: quandoq; significat Dei castigationem paternam; *Mich. VII, 9.* quandoq; rigidam & severam pœnam oppositam castigationi in judicio: quandoq; punitionem exemplarem, ad quam potentiæ divinæ notificatio requiritur *Rom.* IX, 22.

§. 233.

§. 233. *Metus* Dei est, cum ipse malum creaturæ imminens aversatur. Datur & alia species timoris, qui est ergà superiorem, &, cum Deus timetur, religio vocatur. Hæc in Deo non est, quia neminem habet superiorem, neminem colit.

CAPUT XIV.
De
Virtutibus DEI.

§. 234. VIrtutes, quæ in affectibus illis divinis relucent, sunt; Justitia, Patientia, Mansvetudo, Facilitas & Clementia. Non omnes Virtutes Ethicæ DEO propriè competunt: non *fortitudo*; quia nec mors, nec alia formidabilia DEO propriè objiciuntur; non *temperantia*; quia non utitur cibo potuque, circà quorum moderationem temperantia versatur: nec *liberalitas*, quam toties Socinus *l. de servat.* Deo tribuit: liberali enim decedit id, quod alteri dat: DEO autem nihil decedit, etiamsi dona sua nobis communicet, sed ipse manet αὐτάρκεστος, sibiq; sufficientissimus. Sanè Patres Latini gratiam DEI vocant *liberalitatem*, sedeam non opponunt justitiæ Dei vindicatrici ut Socinus facit, verùm designant misericordiam Dei, quatenus illam nobis exhibet citrà ullum nostrum meritum. Eadem est ratio *Magnificentiæ*, quatenus notat erogationem

nem magnorum sumtuum, quæ similiter in Deum non cadit propter eandem rationem, quia Deo nihil decedit, quicquid etiam nobis largiatur. Denique nec *Urbanitas* Deo est tribuenda, quia non jocatur. Si tamen abstrahas ab imperfectionibus, quas in homine connotant, aliquo modo eas ad Deum applicare potes.

§. 235. *Justitia* Dei est duplex: vel *in dictis*; vel *in factis*.

§. 236. Justitia Dei in dictis iterùm est vel *Veritas*, vel *Fides* s. fidelitas.

§. 237. *Veritas* seu Veracitas Dei est, quâ semper, prout res est, & in se, & ab ipso concepta, eandem enuntiat. Suprà egimus de Veritate Dei, ut est modus essentiæ divinæ; hic agitur de ea, ut est sanctitas quædam & perfectio voluntatis. Hæc autem veritas divina includit duo (1) convenientiam rei cum voluntate Dei, *h. e.* veritatem metaphysicam s. in essendo (2) convenientiam enunciationis cum ipsis rebus & conceptu divino *Ps.* XXXI, 6. *Apoc.* VI, 20. Proindè removetur à Deo non tantùm mendacium, hypocrisis & duplicitas I. *Sam.* XV, 29. sed omne simpliciter falsiloquium, quia verax est, ita ut rem, non aliter ac se habet, enuntiet, nec aliter de illa cogitet ac sentiat. *Dicet* 1. Deus Bileamo abeunti irascitur, quem tamen anteâ abire jusserat *Num.* XXII, 20. 35. 2. Christus dicit, se non esse missum propter gentiles, reipsâ tamen

men contrarium demonstrat. E. aliud loquitur, aliud sentit. *Resp.* ad 1. verba (*surge, vade,*) sunt permissiva, ut & illa Christi ad Judam: *quod facis, fac citò.* Ad 2. Christus loquitur de missione, non πρὸς σωτηρίαν καὶ ἀπολύτρωσιν, sed Διακονίαν personalem, quâ ore suo debuit concionari Judæis tantùm, & non gentibus *Rom. XV, 8.* Deindè, præconium Christi personale fuit *vel* ordinarium, *vel* extraordinarium. *Illud* tantùm exstitit apud Judæos; *hoc* interdùm etiam fuit apud gentes. *Joh. IV.* Alio modo possunt verba Christi *inclusivè* explicari, quia oves perditæ sunt omnes homines *Es LIII, 6. Ps. CXIX, 176.* atq; sic etiam hæc fœmina, non quidem secundum carnem, attamen secundum spiritum ex Israele oriunda *Joh. X, 16. Gal. VI, 16.* Quin etiam *comparativam* verba Christi admittunt significationem: Hebræa lingua enim duas res diversas inter se comparans, sic unam alteri præferre solet, ac si eam penitus rejiceret: cum tamen id non ita sit intelligendum, sed tantùm ex collatione posterius priori postponendum *Os. VI, 6.* ut loquitur Chemnitius *in harm. super Matth. XV, 24.*

§. 238. *Fides* s. Fidelitas Dei est, quâ constanter servat promissiones, & bona promissa communicat *Ps. L XXI, 3. C, 5. CXVII, 2. CXLVI, 6. Rom. III, 4. I. Cor. I, 9. II. Tim. II, 13.*

§. 239. Justitia Dei in factis est triplex: alia

potest dici *communicativa*; alia, *dispositiva*; alia, *compensativa*.

§. 240. *Communicativa* est, quâ Deus communicat homini bonum, *vel* creando & conservando illum, *vel* regenerando & convertendo, nec non justificando ac sanctificando, & denique salvando illum.

§. 241. *Dispositiva* justitia est, quâ vitam hominum gubernat, ac præscribit iis officium, proponendo præmia & pœnas. Juxtâ hanc justitiam Deus est justus legislator, & quod requirit à nobis, justè omninò exigit.

§. 242. *Compensativa* justitia est, quâ Deus creaturæ rationali ex pacto cum ipsa inito, reddit, quod ipsius est *II. Thess. I, 6. Apoc. II, 23.* Quæritur: *An hæc justitia propriè Deo competat?* A. *tùm*, quia naturaliter amat justa, & odit injusta; *tùm*, quia non punit nisi sontes, nec eos graviùs punit, quàm merentur. Quæritur? *An Deus vitã æternam bonis operibus tribuat ex justitia, eâq; an commutativa, an distributiva?* Sic Scriptura asserit *II. Thess. I, 4. 5. 6. II. Tim. IV, 8. Heb. VI, 10. Jac I, 12.* & ambabus palmis id arripiunt D. D. Scholastici ac Pontifi. ii. Nos dicimus 1. Attributio vitæ æternæ propriè & simpliciter non est opus justitiæ, sed misericordiæ divinæ (1) quia vita æterna propriè non est merces *Rom. IV, 4. Dices;* vocatur merces *Gen. XV, 1. II. Par. XV.* &c. *Resp.* negando, quod his

his in locis ipsius essentialis gloriæ consecutio dicatur merces. *Priori* dicitur, quod Deus sit merces Abrahami; *posteriori*, quod Levitarum diligentia mercedem habitura sit. Posito verò *Resp.* α merces *h. l.* non sumitur *propriè*, sed *impropriè*, prout Apostolus explicat *Col. III, 23.* & agnoscit Nicolaus Lyranus *in cap.* X. *Joh.* quando inquit: *Gloria celestis non propriè dicitur merces, sed tantummodò largè, in quantum omne, quod redditur in præmium laboris, dicitur merces.* conf. Hilarius *can.* XX *in Matth.* Lutherus *lib. de serv. arbitr. Tom. III. Lat p. 192.* β Disting. ergò inter mercedem *legalem* & *Evangelicam*: *illa* infert relationem ad meritum; *hæc* est planè gratuita ac indebita & nudam respicit sequelam. γ. nusquàm, quod rectè monent Nostrates, vita æterna dicitur merces, sed in cælo dicitur futura merces *Matth. V, 12.* quoad præmia accidentalia, & gradus gloriæ δ Vocantur præmia celestia merces, *tùm*, quia dantur pro labore vel afflictione, cujo sunt gratuita & indebita remuneratio, quâ vel labor, vel detrimentum externum ex gratia cõpensatur: *tùm* quia, sicut nisi certanti nulla corona datur, ita etiam nulli nisi laboranti & post præstitam operam hæc præmia dantur: *tùm*, quia Deus promisit in verbo, se benè operantibus daturũ præmia celestia. (2) quia vocatur χάρισμα & quidem in oppositione ad ὀψώνιον s. mercedem

dem proprie dictam. *Rom. VI.* Quam advertunt Augustinus *in Enchirid. c. CVII.* Ambrosius *Epist. I.* Chrysostomus *hom.* XII. *in Epist. ad Rom.* Fulgentius *l. I. ad Monim. c. 21.* Egregiè Tertullianus: *Stipendia delinquentiæ mors est, donativum autem Dei vita æterna in Christo J.* Donativum est vox Romana militaris, & notat tale præmium, quod militi præter & supra debitam pro militiæ labore mercedem ex liberalitate donabatur. Inprimis autem notari debet appendicula, quam Paulus addit: *In Christo JESU.* Quæ ostendit, χάρισμα illud non præsupponere meritum operum, sed alienum, nempe Christi, fide apprehensum. conf. *Joh.* III, 39. I. *Joh.* V, 11. 12. *Act.* IV, 12. Advertit hoc Cajetanus *in comm. h. l. Non dicit, quod stipendia justitiæ sint vita æterna, sed donum Dei vita æterna, ut intelligamus, non ex nostris meritis, sed gratuito Dei dono assequi nos pro fine vitam æternam. Propter quod & subdit: in Christo Jesu: En meritum: ecce justitia, cujus stipendium est vita æterna: nobis autem est donum ratione ipsius J. C.* II. Impropriè tamen & *secundum* quid dici potest α Deus elargitur vitam æternam credentibus ut justus judex *secundum justitiam universalem*, quâ ipse observat legem suæ justitiæ *Ps.* XI, 7. β Deus in distribuendis gradibus gloriæ æternæ observat *justitiam distributivam*, (laxè loquendo,) non tamen *propter* sed *secundum* opera, non qs. præmia habeant

pro-

proportionem causalem ad labores vel passiones majores vel minores (hæc enim infert æqualitatem *vel* absolutam, *vel* ex compacto s. congruitatis,) sed *proportionem ordinis*, quia decrevit ex gratia magna opera magnis compensare præmiis, sicut ei, cujus in bello fortitudo duplo major est quàm alterius, juxtà proportionem Geometricam tribuitur duplo majus præmium: conf. *Durandus de Portiano l. II. sent. dist 28. q 2.* ℣ Quoad *justitiam commutativam* (supposito, eam dari in divinis si non strictè, ad minimum laxè,) adjudicat Deus credentibus vitam æternam, non propter fidem ipsam, aut opera, sed propter justitiam Christi fide à credentibus apprehensam & in justitiam illis imputatam: Christus enim juxtà strictam Dei justitiam commutativam legi divinæ pro nobis satisfecit. ℣ Non omne, quod datur ex justitia, datur ut merces merito, *v. g.* promisisti alteri imperialem, hunc quando solvis ex justitia solvis, quia debitor ejus es ex promissione, nec tamen das ei imperialem ut mercedem meritis debitam, præsuppono enim te illi promisisse ex gratia, absq; omni cujusvis operis interventu. Sic etiam Deus credentibus vitam æternam reddit ex justitia, non quia debetur operibus, sed quia justus & bonus est, ac promisit. Quod agnoscit Joh. Ferus Minorita *in Matth.* XX, 8. quem vide.

§. 243. Compensativa justitia est vel *remunerativa*, vel *punitiva*, s. vindicativa. *Illâ* movetur Deus ad præmia piis conferenda; *hâc*, ad pœnas inobedientibus infligendas. Socinus *l. I. & III. de serv. c. 1.* voluntatem Dei ἀνταποδοτικὴν negat in sacris vocari justitiam, &, quam nos vocamus justitiam vindicativam, ipse in sacris nominari dicit vel *severitatem*, vel *iram*, vel *vindictam*. Sed apertè hoc falsum est. Nam (1) *Rom. III, 26.* finis eruentæ mortis Christi dicitur esse ἔνδειξις justitiæ divinæ: ubi non intelligitur veracitas DEI, aut justitia, quam Deus nobis donat, ut Socinus vult; sed ἀνταποδοτικὴ justitia, quæ in Deo est. Conjungit n. simul & gratiæ s. bonitatis divinæ, quâ in creaturas fertur; & justitiæ, quæ recti ordinis & compensationis custos est, demonstrationem manifestam: quin & adjecta ibidem ipsa vox *sanguinis* & *placaminis* ostendit de tali justitia agi: insuper connectit Apostolus impetrationem cum applicatione. Impetratio est per sanguinem; applicatio per fidem, quâ Christi sanguis ad Deum placandum effusus creditur. Deniq; etiam justitiæ hujus divinæ demonstratio ex forma satisfactionis & causa antecedente rectè colligitur: pœnæ finis est demonstratio justitiæ compensativæ, *h. e.* vindicativæ, circà peccata, & causa antecedens est meritoria, nempè peccatum: jam, non potest alicujus actionis causa im-

sa impellens esse meritoria, nisi finis sit τὸ αὐτοπρόσωπον. *Dices*; illa justitia hîc intelligitur, quæ διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ostenditur, quæ non est justitia judiciaria, sed Evangelica. *Resp.* α præcedentia peccata spectant ad V. T. his tribuitur πάρεσις; peccatis a. N. T. tribuitur ἄφεσις s. remissio. πάρεσις est transmissio (conf. *Act.* XVII, 30. ὑπεριδὼν) quâ Deus transmittit peccata V. T. ob certissimam filii satisfactionem instantem, sicut debitori remittitur debitum & carceris pœna, si adsit fide dignus sponsor. Aliàs effectus non est prior suâ causâ sc. in naturalibus, non in civilibus β justitia Dei vindicativa *vel* revelatur in lege, & hæc est *stricta*, postulâs, ut ille ipse puniatur, qui peccavit: *vel* in Evangelio, quæ est *temperata* cum misericordia, & admittit sponsorem. Hæc posterior ostenditur in remissione peccatorũ duobus modis α *ratione causæ meritoriæ*, s. satisfactionis: nulli enim Deus remittit peccatum, nisi pro eo sit satisfactum suæ justitiæ β *ratione applicationis* s. medii apprehensivi, quia Deus nemini vult peccatum remittere, nisi satisfactionem Christi fide apprehendat, ad eamq; provocet in judicio Dei. *Instas*; gratis Deus proponit placamentum. E. hoc modo non ostenditur justitia ejus punitiva. *Resp.* remissio peccatorum *ra-*

tione meriti Christi non est gratuita, sed tantùm *ratione nostri. Inst.* Christus eodem sensu dicitur ἱλαστήριον, quo olim arca, quæ Deum non placavit; placamentum tamen dicebatur, quia Deus in ea placatum se præbens responsa dabat. *Resp.* Arca V. T. dicitur placamentum, *partim ostensivè*, ratione futuræ placationis per Christum: *partim organicè*, ratione applicationis placationis posthac acquirendæ: sicut omnes typi V.T. 1. notabant tantùm acquisitionem salutis, non autem habebant vim in se acquirendi salutem, ac placandi Deum. 2. quoad applicationem erant organa Dei dativa, quibus offerebat, applicabatq; salutem à Christo acquirendam: solus a. Christus est placamentum, s. causa meritoria salutis per sanguinem suum (2) idem potest ab effectu probari: Qui n. dicitur ἀποδοῦναι justè, is est justus justitiâ distributivâ. Atqui Deus &c. E.&c. *Minor* probatur *II. Thess. I, 6. Ebr. II, 2. Rom. III, 8.* (ubi eleganter παραφράζει Syrus: *quorũ condemnatio justitiæ reservatur:*) *Act.* XVII, 31. Undè & δίκη vocatur illa ipsa justitia Dei puniens *II. Thess. I, 9. Jud. v. 7.* & δικαίωμα τοῦ θεοῦ dicitur hoc esse, quod, qui committunt aut adprobant malum, digni sunt morte *Rom. I, 32.* (3) ab æquipollentiâ: Nam ἡμέρα ὀργῆς & δικαίας κρίσεως pro iisdem habentur *Rom. II, 5.* (4) à derivatis

tis vocibus: quæ sunt; ἔνδικος *Rom.* XIII, 4. I *Thess.* IV, 6. & ἐνδίκωσις pœnæ exactio *Luc.* XXI, 22. I *Pet.* II, 14. cujus vis explicatur verbo ἀνταποδοῦναι *Rom.* IX, 19. & *seqq. Heb.* X, 10.

§. 244. Justitia Dei ἀνταποδοτική, ut & omnis justitia Dei in factis, Deo est *naturalis*. Socinus *disp. de servat. p. I. c. 1.* & *2.* negat justitiam compensativam Deo esse naturalem, statuitq; liberam esse, & à DEO indifferenter exerceri, cum potestate secus faciendi. Sed contrarium probatur sequentibus rationibus (1) quicunq; vult naturaliter se & attributa sua, ei quoq; naturalis est sua justitia. Deus &c. (2) Qui necessitate absolutâ odit peccatum, is naturaliter est justus: odisse n. peccatum est effectus justitiæ. Deus &c. *Psal. V, 5. XLV, 8. Roman. II, 22.* E. &c. (3) cujus δικαίωμα gentibus naturaliter notum est, illius quoq; δικαιοσύνη est naturalis. Sed δικαίωμα divinum in retribuēdis malis & bonis &c. E. &c. *Rom. I, 22.* Probatio *Majoris* est, quia, si Deo mutabiliter ineesset justitia & jus compensandi bene & malè facta; notiones illæ non essent naturales & immutabiles. Objicit Socinus sequentia 1. *Jus & potestatem Dei*, quæ est absolutissima & libera. Qui liberè odit, is non per naturam suam odit. Deus &c. E. 2. *contrarietatem miserecordiæ & iræ*. Naturalia in Deo non habent con-

trarium. 3. *inæqualitatem harum proprietatum*: Proprietates naturales non sunt inæquales. Justitia & misericordia sunt &c. Nam dicitur tardus ad iram E. 4. *infinitatem Dei*: Omnis proprietas Dei naturalis est infinita: Justitia non &c. aliàs Deus infinitè ultor erit, & nunquam peccata condonabit. E. Sed *Resp.* ad 1. Falsum est, Deum liberè odisse peccatum, si vocabulum libertatis accipitur indeterminatè ad oppositum objectum morale: Dei libertas non versatur circà moraliter contraria, justitiam & injustitiam: Hanc namq; Deus nec vult, nec potest velle, non imbecillitate voluntatis, sed perfectione naturæ. Ad 2. Justitia & misericordia non contrariantur sibi invicem, quia in se & reipsâ unum sunt: *effectus* autem differunt, quia *illa* punit, *hæc* miseretur: sicut sol liquefacit ceram, & indurat lutum, & tamen unus idemq; sol est, nec sunt in ipso contrariæ qualitates: ità quidem justitiæ opus, nempè punitio; & misericordiæ, nempè miseratio, sunt contrarii effectus, non tamen ipsa justitia & misericordia sunt contrariè oppositа. Quinimò nec inter opera servantur leges justæ contrarietatis. Nam justitia & misericordia modò dicuntur diverso respectu, modò quoad diversa objecta. Respectu justitiæ Deus homines lapsos judicat esse damnabiles; misericordiæ autem generalis respectu iisdem à Sathana

chana seductis est placabilis: (quippe ita est iratus hominibus, ut non aversetur omnes iræ deponendæ vias ac rationes.) Deindè, intuitu mortis Christi constituit & promittit, se iram depositurum, quam aliàs nomine justitiæ servaret, si absq; Christi satisfactione esset: specialissimè a. consideratæ misericordiæ opus differt etiam objectis à justitiæ opere. Misericordia enim accipit in gratiam fideles; justitia autem damnat infideles, quod iram peccatis promeritam apprehensione satisfactionis Christi non averterint, sed sub ea manserint. Ad 3. Disting inter *naturam* justitiæ ac misericordiæ, & earundem *exsecutionem*. Ex natura sua Deus æque justus est ac misericors, sed exsecutio misericordiæ est celerior, tardior autem justitiæ: ratio est, quia Deus per Christum est reconciliatus mundo, & voluntate antecedente omnes vult salvos fieri, omnium misereri: repudiantes autem hanc in Christo oblatam gratiam punit demum voluntate consequente. Quo respectu apud Esaiam Deus dicitur in puniendo alienum opus facere, non, quod contrà naturam suam agat, sed quod nonnisi conditionem fidei ad salutem requisitam adspernantes puniat. Ad 4. Justitia Dei est infinita *quoad entitatem* suam, non quoad *actum*. Non sequitur; Deus habet infinitam potentiam creandi, & per infinitam potentiam res creavit.

E. in-

E infinita fecit, & in infinitum creat. *Dices*; Justitia DEO mutabiliter ineſt, quia non ſemper punit. *Reſp.* non ſequitur: diſting. inter propenſionem naturalem ad puniendum, & inter exercitium propenſionis illius. *Inſtas*; at in hoc, non in illâ, formalis ratio juſtitiæ punitivæ conſiſtit: hoc autem eſt liberum, ſic ut Deus punire & non punire poſſit. *Reſp.* Peccata conſiderantur dupliciter, *vel in ſe*, & ut ſunt meritoria mortis, *vel* ut ſunt expiata per Chriſtum. In ſe ſpectata Deus naturaliter vult punire: ut autem ſunt expiata per Chriſtum, Deus poteſt noſtri miſereri, ſalvâ juſticiâ: Hactenus juſticia eſt libera, & differri poteſt ex longanimitate, ut homo agat pœnitentiam. Nam quod Deus naturalem juſtitiam non ſtatim exercet homine peccante, hoc adſcribendum eſt interceſſioni Chriſti. Quare ante promulgatam primam promiſſionem Evang. peccatum ſimpliciter fuit mortis meritorium; poſt factam autem ſponſionem filii Dei ad ſatisfaciendum pro homine, nulla peccata ſimpliciter & immediatè ſunt meritoria mortis, ſed ſecundùm quid & mediatè, ſi expiatio peccatorum non applicetur fide, ſed repudietur per incredulitatem. Et hoc eſt, quod Lutherus dicit, *nullum malum opus damnare*, ſed ſolam incredulitatem. Ubi non conſiderat opus malum abſolutè & in ſe, quà malum eſt, ſed reſpectivè in relatio-

latione ad expiationem sanguine Christi factâ, quâ omnia peccata expiabilia fecit, ut, licet in se mereantur mortem; tamen non eveniat ipsis damnatio, nisi per incredulitatem venia & remissio peccatorum impediatur. *Judicium Christi condemnat infideles*, inquit Chemnit. *c. XXVIII. Harm. Evang. p. 160. non propriè; quia peccârunt; potuissent enim remissionem peccatorum in Evang. oblatam recipere; sed quod magis dilexerũt tenebras, quàm lucem.* Imò incredulitas ipsa, prout est meritoria damnationis, non immediatè damnat, sed prout est impedimentum apprehensionis meriti Christi. Ob peccata reliqua merentur homines damnationem, sed damnatio ipsa non evenit, si eorum expiatio à Christo facta per fidem applicetur in justificatione; incredulitas autem prout est privatio medii damnationem promeritam avertentis causat eventum damnationis.

§. 245. Cùm justitia Dei naturalis sit, DEUS non potest non peccata punire, vel in peccante, vel in peccatoris sponsore. Punit Deus peccatum, vel in ipso transgressore, ut, in Diabolis: vel in peccatoris sponsore, Christo. Hoc ipsum diligenter notandum est contrâ Socinum, qui negat Christum veras pœnas sustinuisse, eumq; tantum καταχρηστικῶς punitum, *h. e.* afflictum esse statuit, ut possit negare satisfactionem Christi, quâ pro peccatis nostris sibi imputatis luit pœnas nobis sufferendas.

§. 246. Sequitur *Patientia* s. *Longanimitas* Dei, quâ suffert peccatores nec ad vindicandum malum pœnis suis, simul ac illas meriti sunt, properat, sed exspectat eorum pœnitentiam. Græcis dicitur μακροθυμία, *h. e.* longanimitas *Rom. II, 4.* quâ voce & *inducias* appellant, quod per eas bellum inhibeatur ad tempus. Hebr. אֶרֶךְ אַפַּיִם *Nares* Deo tribuuntur per ἀναθρωπάθεια & metonymicè significant *iram*, quæ naribus ac spiratione nariū concitatur & notificatur *Num. XIV, 18. Ps. III, 8. Nah. I, 3. Jon. IV, 2.* Sunt itaq; duo *requisita* longanimitatis, pœnæ dilatio, & exspectatio pœnitentiæ à peccatoribus *II Pet. III, 15.* quia Deus non tantum tolerat, sed tolerando etiam agit & incitat ad pœnitentiam. *Roman. II, 4.* *Exemplum* longanimitatis divinæ est, *tùm* in Ninivitis, *Jon. I. tùm* in mundo primo *II. Pet. III, 15.* ubi particula *semel* spectat tempus à Deo præfinitum pœnitentiæ agendæ, quo elapso perseverantes in impœnitentia vindicaturus erat DEUS. *Causa impulsiva* longanimitatis divinæ est gemina (1) desiderium salvandi peccatores etiam induratos, modò non maneant tales *II. Pet. II, 9. 15.* (2) intercessio Christi *Ebr. I, 3.* *Finis* longanimitatis est duplex 1. ut peccator ad pœnitentiam invitetur 2. ut piis ostendatur, quam copiosa sit bonitas Dei ergà sibi obedientes, ad præmiandum illos. *Consequens* v. prioris finis est eorum,

qui

qui manent indurati, punitio gravior & exemplaris.

§. 247. *Mansvetudo* Dei est propensa ejus voluntas, quæ iram temperat in vindicando, ne puniat pro scelerum magnitudine *II. Sam. XXII, 36. Ps. XVIII, 36.* Vocatur etiam *Lenitas* generali nomine.

§. 248. Mansvetudo iterum est duplex: *Facilitas ad ignoscendum, & clementia.*

§. 249. *Facilitas* ad ignoscendum est, quâ Deus facilè se præbet exorabilem, & iræ suæ ponit modum ac terminum, ne magnitudini peccati adæquetur s. propter illam in æternum duret *Jerem. XXX, 5. Ioel. II, 13.*

§. 250. *Clementia* Dei est, quà pœnas nobis debitas moderatur, & dispensat in stricta justitiæ suæ lege. Seneca clementiam definit *lenitatem superioris ergà inferiorem in constituendis pœnis.* Cicero generatim vocat *lenitatem*, ac definit, *justitiam positam in moderatione animadvertendi.* Aristoteles *lib. V. Eth.* vocat πραότητα, ac definit ἀρετὴν τοῦ ἄρχοντος. Id, quod benè notandum est contrà Socinum, qui in materia de satisfactione Christi perpetuò Deum considerat ut creditorem, qui possit pro lubitu debitum remittere, ideoq; eum etiam vocat *liberalem.* At Deus in peccatorum remissione spectatur, non ut creditor, quia citrà satisfactionem creditor potest debitum

bitum remittere: sed ut rector vel regens, qui impunitatem peccatori non concedit, nisi vel ipse transgressor (quod strictum jus postulat:) pro delicto satisfaciat, vel alius pro ipso puniatur, & tunc, quando impunitatem transgressori concedit, satisfaciente alio, Rector s. magistratus summus dicitur *clemens*. Est autem duplex beneficentia Dei in clementia illustris (1) quod DEUS, cùm magno odio incitaretur adversus peccatum, posset q; tàm nobis parcere omninò nolle, quàm peccatoribus angelis omninò parcere noluit, tamen, ut nobis parceret, non modò solutionem vel satisfactionem loco & bono nostro præstitam admisit, sed etiam ultrò eam ipse invenit (2) quod filium suum proprium & unigenitum morti dedit ad satisfaciendum prò nobis.

CAPUT XV.
DE
Potentia DEI.

§. 251. POtentia Dei sumitur vel *essentialiter*, vel *personaliter*. Essentialiter iterum vel *formaliter*, de ipsa Dei proprietate, quâ potens est ad efficiendum aliquid; vel *metonymicè*, de instrumento, per quod efficaciter operatur *Rom.* I, 16. I. Cor. I, 18. Personaliter dicitur de ipso Christo *Luc.* I, 35. I. *Cor.* I, 24. Græcis potentia proprie

priè est δύναμις, & notat *vim agendi*, distincta ab ἐξουσία, quæ est potestas & *jus agēdi*: quomodo etiam distinguūtur παντοκρατωρ & παντοδύναμος. Nam, *illud* priè notat eum, qui imperium tenet in omnia; *hoc* v. eum, qui potentiam s. vim habet faciendi omnia. Et hanc posteriorem vocem Athanasius *in Symb.* tribuit Deo. Nunc agimus de potentia essentiali.

§. 252. Essentialis potentia DEI est proprietas intellectum & voluntatem ordine sequens; quâ Deus ex libera sua voluntate potest ad extrà operati omnia absolutè possibilia, & operatur, quæcunq; vult operari. Probat eam Fides *Genes. XVII*, 1. *XVIII*, 14. *XXXV*, 11. *Deut. XXXII*, 39. *I. Sam. XIV*, 7. *Es. XIV*, 27. *XLII*, 38. *LX*, 2. *Jer. XXXII*, 17. *Luc. I*, 37. *Apoc. IV*, 8. *XI*, 7. Probat Natura: Quis enim ignorat effectū non posse esse toto genere nobiliorem suâ causâ? Si ergò creatura est potens, utiq; multò magis creator, quippè, de cujus potentia res creatæ solùm participant. Imò, omnis perfectio simpliciter in Deum cadit: at potentia est perfectio simpliciter. E. &c. Adde rationē á posteriori, quod Deus produxit omnes creaturas, ergò per aliquam potentiam, tanquàm principium activum.

§. 253. Potentia Dei est ipsa Dei essentia, quatenus est operans ad extrà, s. ad alia, quæ extrà Deum sunt. Nam, sicut cœtera attributa ἐνεργητικὰ in ipso Deo non distinguuntur, sed tantùm ratione diver-

sorum objectorum externorum, ut in Sole vis exsiccativa & liquefactiva: sic & essentialis potentia Dei non nisi ratione differt ab essentia, & à cæteris attributis essentialib9 distinguitur objecto adæquato: Undè perspicuum est 1. potentiam divinam non esse qualitatem secundæ speciei, nec habitum s. potentiam proximè determinatam ad agendum, sed actum primum: potentia enim Dei est ipsa essentia, in quam non cadit accidens, atque ita nec potentiale, nec habituale quicquam. 2. Potentiam Dei non esse passivam, sed activam tantùm. Nam α potentia passiva est tantùm habentium materiam, vel sensibilem, vel intelligibilem. β est tantùm contingentium, s. illorum, quæ possunt non esse. Deus autem est simplicissimus actus & summè necessarium, h. e. infinitum ens.

§. 254. Potentia Dei ad extrà est *libera*, & non simpliciter necessaria. Potentia in Deo secundum duo propria actionis, duplex est: naturalis, s. necessaria, & voluntaria, s. libera. In homine vides potentiam naturalem cum necessitate, quam sola natura fundat citrà voluntatis arbitrium, & uno actu tantùm terminatur: sic sensus nostri naturali potentia sentiunt. Vides liberam potentiam, quam intellectus dirigit, eiq; voluntas imperat. Ita in Deo est gemina potentia, *naturalis* una, altera *libera*. *Illa* actibus Deitatis ad intra est occupata, qualis est potentia volendi bonum, & aversandi malum,

lum, potentia generandi in patre, nascendi in filio. *Hæ* potentiæ sunt necessariæ, quia Deus in seipso ex naturæ necessitate simpliciter hos actus agit. Libera autem potentia Dei mensuratur voluntate ejus. Et de hâc *h.l.* tantùm agimus.

§. 255. De hâc potentia Dei quæritur; *an sit infinita*? Sanè *à posteriore* hoc probare planè est impossibile, ut rectè censet Occam *I dist. 42.* Et potius à posteriori colligerem, potentiam Dei esse finitam, quia nullus datur ejus effectus infinitus, sicut & concludit Averroes *l. XII. Metaph. t. 41.* Excipit quidem Swaretz *disp. XXXIII. sect. 17. n. 3.* potentiam Dei infinitam esse, posse à posteriori ex actione Dei probari, non tàm ratione termini producti, cùm is semper finitus sit, quàm ratione modi, quia scil. ex nihilo totam universi machinam produxit: sed modus creationis creaturæ ut tali planè est incognitus. Si hic aliquid dicendum est, audiendus est Martinus Becanus, Vir in hoc studio acutus & eruditus, qui in *Theol. Scholast. cap. XVII. qu. 2. n. 5.* exindè putat à posteriori cognosci posse, quod potentia Dei sit infinita, tùm, quia non producit tot effecta, quin possit plures producere: tùm, quia non facit tàm perfectos, quin possit perfectiores efficere. *A priori* facilè demonstrari potest, potentiam divinam esse infinitam: Nam essentia & potentia in Deo sunt ταυτὸ & consequuntur se invicem: si ergò essentia est infinita; utiq; etiam

potentia. At essentia est infinita. Si enim Deus esset suâ essentiâ finitus quæsiverim, undè habeat hanc finitudinem essentialem? *aut* à seipso, *aut* ab alio, *aut* à nullo. Non *à seipso*, quia aliàs simplicissimus Deus simul erit limitans & limitatus, agens & patiens: finiri enim est pati: quod manifestam contradictionem implicat: aut sequitur, Deum non esse simplicisimam substantiam, sed ex forma limitante s. finiente, & materia limitata compositum, quod impium, blasphemum & absurdum est. Nec *ab alio*, siquidem Deus omnium rerum primum & absolutissimum principium, à quo cætera omnia dependent, nec suprà, nec penes se vel majus vel æquale principium habet. Adde, quod potentia Dei *vel* est finita, *vel* infinita. *Non illud*; quia imperfectionem arguit, habere potentiam limitatam: imò facit DEUM, non-Deum, σὐδενόξυλον. Nam à quo limitabitur potentia divina? E. erit hoc. *Dices* 1. à quo pendet hæc infinitudo potentiæ divinæ? 2. exceditur à scientia, quia DEUS potest plura scire, v.g. mala, quàm facere. E. non est infinita. *Resp.* ad 1. infinitas potentiæ divinæ est *vel* entitativa s. intrinseca; *vel* extensiva; *vel* intensiva. *Illam* habet ab essentia: *istam* ab objecto, quia non producit tot effectus, quin possit plures producere: *hanc* ab actione transeunte, quia non operatur tàm perfectè, quin possit

sit perfectiùs operari. Ad 2. a potentia Dei intrinsecè juxtà suam entitatem considerata, non exceditur à scientia, quia sunt ταυτὸ β potentia divina considerata extrinsecè, quoad objectum, non exceditur à scientia quà proportionem, quia, sicut scientia se extendit ad omnia scibilia, sic potentia ad omnia possibilia γ excæditur tamen, quâ numerum, quia actu plura cadunt sub scientiam, quàm sub potentiam.

§ 256. *Objectum* potentiæ Dei sunt omnia alia à Deo, & absolutè possibilia. *Dico* 1. *alia à Deo* h. e. opera & actus Dei ad extrà. Quâ limitatione excluduntur opera ad intrà, quæ ex necessario naturæ divinæ principio proveniunt, nec à voluntate Dei pendent: si enim in nobis actus naturales non sunt ἐφ ἡμῖν, *hoc est*, nostro arbitrio non subjacent, multò minus in Deo erunt liberi. Sed verum est prius, quia crescere, procreare simile, sitire &c. non est in nostra potestate, sed à natura, vel ut natura est, vel, ut corrupta. *Dico* 2. *absolutè possibilia: tùm* quatenus possibile sumitur *positivè*, prout denominatur à potentia; (neq; sic petitur principium, nec dubium per æq; dubium, obscurum per æq; obscurum probatur,) *tùm*, in quantum ly possibile sumitur *negativè*, & denotat omne id, quod non implicat contradictionem, s. quod non excludit possibilem factibilitatem

tem passivam per repugnantiam ad illam. Unde assumi debeat repugnantia & posse esse, docet Thomas *p. I. qu. 25. art. 3.* ubi statuit, solum id, quod contradictionem involvit ex parte rei, esse verè repugnans ex seipso, & ideò solum illud esse extrà objectum divinæ omnipotentiæ. Nihil ergo est, quod Deus non possit facere, nisi ex se & sua natura sit impossibile, adeoq; non contineatur in latitudine entis tàm possibilis, quàm actualis.

§. 257. Continentur ergò sub objecto potentiæ divinæ omnia illa, quæ non implicant contradictionem s. repugnantiam veram. Implicare a. contradictionem, est negare & evertere essentiam, ac proindè, in hac materia de potentia Dei circà res ad extrà id implicat contradictionem, quod evertit essentiam *vel* potentiæ divinæ, *vel* objecti, circà quod potentia divina occupata est, *vel* utriusque. Diligenter verò distinguendum est inter contradictionem *veram* & *apparentem*. Nam potest quidem nobis secundum legem naturæ tantum judicium ferentibus aliquid videri contradictorium, quod tamen ex lumine gratiæ rem æstimantibus diverso respectu secundum utramq; partem verum esse potest. Sic Calvinus *l. IV. Inst. c. 17. n. 47.* nimis impudenter negat, *Deum posse facere, ut corpus unum sit in pluribus locis*. Quod cum Calvino docet Theodorus Beza *part. I. resp. ad act. colloq. Mompelg. p. 44.* Daniel Chamier *Tom. II. lib. II. c. 1. n. 14.*

n.14.p.20. Licet n. hoc per naturam s. ordinariam Dei potentiam fieri nequeat, tamen per extraordinariam hoc evenire posse testatur doctrina celestis de sacra cœna & regno Christi. Ejusdem impudentiæ reus est Crocius *part. II. convers. Pruten. cap.6.* ubi dicit, *accidentium proprietorum à substantia separationem implicare*, propterea, quod incommunicabile fieret communicabile. Sic blasphemè fingũt Sociniani contradictionem adjecti in hac propositione: *Deus est incarnatus; Deus est homo.* Proindè cautela hæc semper ob oculos habeatur: Quandocunq; in rebus captum nostrum excedentibus non manifestè apparet implicatio contradictionis, tunc potiùs silentio veneranda est Dei potentia circà illas res, quàm temerè aliquid constituendum. Deus enim superabundanter operari potest suprà ea, quæ petimus aut intelligimus *Eph. III,20.* Cùmq; ea sit supinitas nostri intellectus, ut sæpissimè non possimus rimari essentias rerum, non possumus etiam certo enuntiare de contradictionis implicatione s. essentiæ destructione. Alio modo in hac materia ex Augustino describi possunt absolutè possibilia, quod nempè sint illa, *quæ DEUS velle potest.* Verùm tunc distinguendum est inter actionem ipsam & determinationem actionis moralem. *Illam* Deus vult libere; *hanc* vult necessariò, quia est objectum voluntatis ad intrà. Sic Deus non potest injustè facere, justè tamen potest facere

vel non facere hoc vel illud, ita, ut facere & non facere sit libertatis; justitia autem quam facit, aut non facit, naturæ divinæ.

§ 258. Atqui hinc Potentia Divina rectè dicitur *omnipotentia*, non qs. complectatur omne genus potentiæ, quia non complectitur potentiam passivam; sed ratione objecti. Nam omnipotentia est, quæ omnia illa, quæ absolutè sunt possibilia, efficere potest. Talis est potentia infinita; aliàs non infinita, sed limitata & certis cancellis circumscripta esset. Rationem aliam addit Swaretz *d.l. n.4.* quæ desumitur ex natura relatorum, quia, si aliquid est possibile, per aliquam potentiam possibile est, hæc enim duo correlativa sunt. E. vel illa potentia est in Deo, & habemus, quod intendimus, vel est in aliquo alio ente, & indè etiam necessariò concluditur, multò magis & perfectiùs esse in primo ente, quia non potest aliquod aliud ens illam habere nisi participatam à primo.

§. 259. Absolutè autem impossibilia Deus facere non potest, propter contradictionem in apposito. Potentia extendit se ad id, quod per eam potest actuari: Sic potentia visiva versatur circà objectum visibile, cui non repugnat ly posse videri. Impossibile autem non potest actuari, sed excludit omnem rationem factibilitatis. Tenenda hîc est distinctio τῶν impossibilis, quam affert Flandrensis *l. V. Met. qu. XIII. a.* 4. impossibile aliquid dici

(1) se-

(1) *secundum seipsum*, s. ratione discohærentiæ terminorum, quod implicat affirmationem & negationem simultaneam *v.g.* hominem esse irrationalem. Et hoc nullius potentiæ activæ est, quia potentia activa terminatur ad esse. (2) *respectu potentiæ intrinsecè*, quod propter defectum potentiæ ipsius ex seipsâ fieri nequit *v.g.* hominem volare. Ad hunc n. effectum potentia hominis non potest se extendere, propter ἔλλειψιν naturalem. (3) *respectu potentiæ extrinsecè*, cum potentia alicujus ab extrinseco aliquo ligatur vel impeditur. *v.g.* lignum viride urere. Ea, quæ sunt impossibilia *naturæ* secundo & tertio modo, Deus facere potest, quia ejus potentia, cùm sit infinita, in nullo defectum patitur, nec ejus potentiæ aliquid resistere, vel eam aliquid impedire potest. Quod autem suâ *naturâ* primo modo est impossibile, Deus facere nequit, non propter defectum suæ potentiæ, sed propter defectum possibilis. Et in hoc casu recte docet Thomas *p. I. qu. XXV. a. 2.* verius dici, contradictoria non posse *fieri* à Deo, quàm, Deum non posse ea *facere*, cùm causa, ut fieri non possint, non sit à parte Dei, sed à parte impossibilium, quorum naturæ τὸ fieri repugnat. Illustrat hoc tali simili Armandus de Bello Visu *Tract. II. Term. c. 9. Quod Deus non potest facere, dicitur impossibile, non propter defectum divinæ potentiæ, sed propter defectum rei factibilis, quæ non est capax. Sicut Magister in*

Theologia de potentia absoluta potest docere Theologiam: sed, quod non possit docere asinum, non est defectus potentiæ in Magistro: sed est defectus asini, qui non est capax doctrinæ.

§ 260. Impossibilia absolutè sunt, quæ Deus velle non potest, *vel* ratione suæ potentiæ, *vel* ratione objecti, *vel* ratione utriusq;.

§. 261. Impossibilia Deo *ratione potentiæ* sunt, quæ naturæ ejus sunt contraria, & quidem, vel *simpliciter*, vel *secundùm quid*.

§. 262. Simpliciter absolutæ impossibilitatis sunt ea, quibus simpliciter negatur essentia divina. Quæ phrasis, quia citrà expositionem durior videtur, ideò statim explicanda, aut communioribus verbis explicanda est *h. m.* Deus non potest facere res, quæ fieri non possunt, s. quæ, ut ab ipso fiant, ejus natura, quæ sancta, justa, misericors, simplicissima & verax est, non permittit. Atq; adeo (α) *Deus non potest falli*, quia hoc repugnat infinitæ ejꝰ sapientiæ, secundùm quam unico ac simplicissimo actu omnia & singula entia, tàm realia, quàm rationis, distinctè, evidenter & ἐν τῷ νῦν cognoscit, idq; infallibiliter, quæ infallibilitas nititur infinitâ potentiâ adessendi creaturis, per quam omnia præsentissimè cognoscit. (β) *non potest peccare*, quia hoc repugnat sanctitati ejus. (γ) *non potest mentiri*, s. quod idem est, facere ut duæ contradictoriæ simul sint veræ. Si enim Deus diceret, duas contra-

tradictorias simul esse veras, tunc non esset verax, & deficeret à prima veritate, atq; ita à seipso. (δ) *non potest mori, nec vinci. Illud* enim repugnat infinitati essentiæ; *hoc* infinitati potentiæ. Rectè Augustinus *l. V. de C.D. c. 10.* ait: *Non minuitur potestas Dei, cum dicitur mori non posse: sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utiq; potestatis. Rectè quippè omnipotens dicitur, qui tamen mori non potest: dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non, patiendo quod non vult.* (ε) *non potest peccatorem absq; satisfactione & illius applicatione impunitum dimittere.* Hoc enim est contra ipsius justitiam, quæ necessariò exigit luitionem pœnæ, s. illa sufferatur ab ipso transgressore, quod fit in ordinariis judiciorum processibus; s. per temperamentum misericordiæ pœna transferatur in spósorem peccatoris, quod est extraordinarium & fit ex gratiâ. (ζ) *non potest innocentem & non-peccatorem damnare.* Quia sic vellet potentiam injustè aliquid faciendi: semper autem voluntas Dei circumscripta est terminis justitiæ, nec creatura ita est in potestate creatoris, ut de eâ possit promiscuè facere, etiam contrà naturam suam. Nam Dei potentia in creaturas non nititur infinitate essentiæ, sed communicatione istâ, quâ illis essentiam communicavit, quæ communicatio Deo hoc juris tribuit, ut creaturis possit adimere τὸ esse, quod citrà ullum meritum eis dedit: ut v. miseriam infligat

fligat citrà meritum, non permittit justitia. Miserum enim esse, est pejus, quàm non esse, ac propterea, non est eadem potestas inferendi miseriam sine culpa præcedente, atq; auferendi essentiam citrà culpam creaturæ: aufert enim Deus quod dedit, & potest de suo facere, quod vult; at miseriam inferre innocenti non potest. Minimè ergo potuit ex informi massa creare quosdam homines liberè ad dedecus & condemnationem, sicut locum *Rom. IX, 21.22.* Calvinianorum nonnulli depravant, nisi homo se anteà dignum fecisset pœnâ & dedecore per suam prævaricationem. Hoc, quod dicimus, Augustinus aliquot in locis inculcat. *Deus*, inquit *in lib. de gnt. & lib. arb. c. XXIII. reddit mala pro malis, quia justus est: bona pro malis, quia bonus est: bona pro bonis, quia bonus & justus est: solùm non reddit mala pro bonis, quia injustus non est.* Et *l. III. cont. Julian. c. 18. Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Conf. *Sap.* XII, 15. Alia hujus impossibilitatis causa est *voluntas DEI*, quia Deus sic se revelavit, quod nolit condemnare eos, qui nihil mali sint meriti. Quam posteriorem impossibilitatis rationem pleriq; D. D. Scholastici afferunt: in eo tamen errant, quod statuunt, Deum non posse damnare innocentem, impossibilitate tantùm hypotheticâ, & propter voluntatem

in

in contrarium declaratam, cùm simpliciter hoc ipsum, etiam per justitiam, Deo sit impossibile. Nec valet, quod objiciunt, de potentiâ absolutâ & citrà respectum ad justitiam considerata: aliud n. est facere; aliud factum damnare. Illud requirit potentiam; hoc justitiam actionis, cujus Deus potens est.

§. 263. Impossibilia potentiæ divinæ *secundùm quid*, sunt duplicis generis: quædam sunt impossibilia Deo, *quoad certum agendi modum*; quædam *quà certam hypothesin*.

§. 264. Impossibiles Deo *quoad certum modum agendi* sunt actus naturales, quatenus eos in seipso non exercet, nec exercere potest. Sic non potest edere, nutriri, ambulare, dormire, loqui &c. & tales actus verè sunt possibiles. Quare dicimus, eos DEO non simpliciter esse impossibiles, (alioquin Deus quoddam possibile non posset,) sed tantùm secundùm quid, nempè, quatenus in seipso eos non exercet: ἐνεργητικῶς autem illos actus in creaturis efficere potest. Alio modo dici potest, Verbum *posse* sumi dupliciter, vel *latissimè*, prout quamvis potentiam, etiam passivam, suo sub nomine complectitur: sic aqua dicitur posse calefieri, & hoc modo non sumitur, cum DEUS dicitur omnia posse. Vel *strictè*, quatenus importat potentiam merè activam, exclusâ omni passione. Jam v. posse ambulare, edere &c. infert potentiam

am passivam in iis, qui ab his actibus denominantur: sunt enim quidam motus; at, id quod movetur, patitur, dùm aliquid in se recipit. Vndè, licet ambulare, edere &c. sint possibilia, tamen si DEO tribuantur immediatè, contradictionem involvunt: mediatè v. Deo tribui possunt per verbum *facere*. Potest enim Deus facere, edere, bibere &c. *h.e.* ut homo edat, bibat &c.

§. 265. *Ex hypothesi* impossibiles Deo sunt actus, quos decrevit non-facere, & quorum contrarium prædixit, promisit, aut comminatus est se facturum *v. g.* Deum non judicaturum mundum, credentibus denegaturum vitam æternam &c.

§. 266. Impossibilia Deo *ratione objecti* sunt, quæ destruunt essentiam objecti. Hoc modo Deus non potest facere creaturam absque relatione ad seipsum: creatum enim necessariò refertur ad creatorem, tanquàm dependens ad id à quo dependet. Sic Deus non potest facere hominem, qui non sit animal rationale. Quæritur I. *An Deus possit facere alium Deum?* Resp. *Neg.* Contradictionem implicat in adjecto, esse Deum, & nihilominus dependere, dependentia repugnat Deitati simpliciter. Adde, si Deus faceret alium Deum, ille Deus foret omnipotens, atq; adeò æqualis virtutis cum ipso, & per consequens illi posset resistere. II. *An Deus possit simul facere, quæ fecit?* Resp. (1) in eo non consistit infinitas potentiæ divinæ, simul facere

facere quamcunque rem possibilem, quando ergò dicimus, objectum omnipotentiæ divinæ esse omne possibile, non volumus id intellectum collective, sed divisim s. sigillatim, signando quamcunque rem (2) non est necessarium ad divinam omnipotentiam, ut Deus omnia simul facere possit, sed sufficit ut quodlibet comparatum ad divinam potentiam ex vi illius ita in re possit constitui, sicut dicitur esse possibile. III. *An Deus potuerit facere, ut, quæ præterierũt, non præterirẽt, aut etiam nunc facere possit, ut aliquid, quod cæteroquin futurum erat, non fiat?* Resp. Potuit Deus facere, ne essent, quæ præterirent, & ita non præterirent: potest etiam adhuc facere, ne fiant, quæ futura alias erant. Sed postquàm jam aliquid præteriit, non potest nunc facere, ut non præterierit, &, supposito, quod aliquid revera futurum sit, fieri nequit, ut idem simul sit non futurum. Eleganter Augustinus *lib.* XXVI. *cont. Faustum c. 5. Quisquis*, inquit, *ita dicit, si omnipotens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt facta non fuerint, non videt se hoc dicere, si omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt eo ipso quo vera sunt, falsa sint.* IV. *An Deus, quæ fecit, possit meliora facere, quàm fecit?* Resp. (1) Disting. inter rem consideratam ratione suæ essentiæ, s. *essentialis*; & ratione *accidentalis* bonitatis (2) inter rem, quæ manet *eadem numero*, &, quæ fit *alia numero* ac essentiâ. Deus non potest facere rem bonitate essen-

essentiali meliorem, si debet manere eadem numero. Nam ἀεὶ οὐσίαν, inquit Aristoteles *lib. VIII, Met. c. III, Text. 10.* ἐστί πως ἀεὶ θνητὸν, *sc.* ratione definitionis ac essentiæ. Sic arbor, quamdiu manet arbor, non potest fieri homo, quamvis ex arbore, si non amplius maneat arbor, Deus potest facere hominem. Bonitate autem accidentali rem essentiâ eandem manentem potest facere meliorem *v. g.* ex pumilo procerum, ex stulto sapientem. *Dices*; Quicquid Deus fecit, optimum est. *Resp.* respectu eorum quæ *sunt*, non autem eorum, quæ *possunt esse*: adeoq; *comparativè* non *absolutè*.

§. 267. Impossibilia Deo *ratione utriusq;*, & potentiæ & objecti sunt, quæ utriusq; essentiæ simul repugnant. Hoc modo Deus non potest producere effectum numero aut magnitudine infinitum. Nam (1) effectus universi natura est, ut sit finitus (2) si produceret divina potentia effectum infinitum, destrueretur ejus essentia, & illa fieret finita: nihil n. amplius producere posset, quod effectui isti adjiceret. Sed consequens est absurdum, quia omni effectui potentia Dei potest aliquid adjicere, inque infinitum procedere apta est, neq; unquam eò devenire potest, ubi sistere cogatur propter suum defectum.

§. 268. Hic nota 1. Dei potentia est *infinita*, undè Deus dicitur omnipotens, *tùm*, quia omnia possibilia potest, quæ sanè sunt innumerabilia, adeò, ut non

non possint tot numerari, quin plura possit Deus, nec tanta ponderari, quin majora possit: *tùm*, quia potentiæ divinæ, si velit immediatè & absq; conditione agere, nihil resistere potest, cùm omnia ab illa, tanquàm causâ, tàm quoad essentiam, quàm, quoad essentiæ continuationem, dependeant. 2. Quamvis autem *potentia* sit infinita, *actus* tn. semper est finitus: effectus enim infinitus à Deo effici nequit. 3 Ex potentiâ Dei non potest aliquid concludi, nisi simul constet de voluntate Dei. Sic nos in Doctrinâ de Cœnâ non niteremur potentiâ Dei, nisi certi essemus de voluntate Christi, quâ corpus & sanguinem suum in Cœnâ distribuendum sancivit. Scitè Chemnitius in *Exam. C.T. p.100. Simplex*, inquit, *& vera regula est, quod gratia Dei, meritum Christi & efficacia baptismi in renatis operetur: quomodo, & quo ordine, statuendum est ex verbo Dei, non ex argumentationibus à possibili.*

§. 269. Hæc potentia divina licet in se & suâ naturâ simplicissima sit, & maximè una, quia identificatur cum ipsa essentia Dei, eiq; nihil reale superaddit: admittit tamen distinctionem intellectûs agentis, quæ fundatur in conceptibus inadæquatis. Atq; sic distinguimus potentiam Dei in *absolutam & actualem*. Plerique hanc faciunt distinctionem ut dicant, eam esse vel absolutam s. *extraordinariam*, vel *ordinariam*. Sed hæc divisio non est adæquata suo diviso, nam ordinaria & extraor-

dinaria Dei potentia est actualis: Deus autem plura potest, quàm vult agere & agit. Proinde hîc absolutam Dei potentiam non intelligimus, quatenus à communi ordine divinitùs sancito est absoluta, s. ad eum non alligata; sed prout est absoluta ab actu, *h.e.* potest agere, at non agit, quia DEUS non vult agere.

§. 270. *Absoluta* Dei potentia est, quâ omnia potest, quæ velle potest, & plura potest, quàm vel vult, vel, aut ordinariè, aut extraordinariè, facit. Sic Deus posset 1000. mundos condere, posset ex lapidibus sibi suscitare semen *Matth. III*, 7. posset facere κάμηλον ingredi per foramen acûs *c.* XIX, 24. Objici autem hic solet Tertulliani, Augustini, aliorumve Patrum autoritas, dicentium, *DEUM nihil posse, quod non velit.* Sed *Resp.* ipsos per τὸ *velle* nihil aliud intelligere, quàm posse per naturam velle, sic rectissimè dicitur; DEUS nihil potest agere, nisi quod potest per naturam velle. Atq; ita (1) excluduntur mala moralia à Dei potentiâ, quæ DEUS, ut non potest velle, ita nec potest operari; ut non vult, ita nec operatur. (2) tollitur imperfectio potentiæ, quæ in creaturis cernitur, quæ sæpe aliquid volunt, quod tn facere nequeunt: DEUS autem omne id quod vult, facit: &, quod potest velle, potest etiam facere.

§. 271.

§. 271. *Actualis* potentia Dei est vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. Hæc distinctio facta est juxtà exsecutionem potentiæ, & petita est à duplici agendi modo.

§. 272. *Ordinaria* potentia est quam exercet conformiter ordini & legibus libere à se statutis. *Ordo* ille duplex est, vel *naturæ*, vel *gratiæ*. Naturæ ordo est, quo Deus secundum leges naturæ à se positas operatur *v. g.* potest conservare vitam per alimenta. Hinc rectè ipsa Natura à Scaligero dicitur *ordinaria Dei administra*. Gratiæ ordo est, quem Deus servat in regeneratione & renovatione hominis, positis certis mediis: sic potest per verbum & sacramenta homines convertere.

§. 273. *Extraordinaria* Dei potentia est, quâ præter & suprà omnem ordinem communem agit. Hæc Scaligero *exerc. CCXXIV, sect. 3.* & *exerc. CCCLXIV, sect. 8.* & aliis frequentiùs dicitur *absoluta* potentia, sc. ab ordine communi. Exempla multa sunt in sacris *Dan VII, 22. Exod. XIV, 12. II. Reg. VI, 6. Exod. XXII, 18.* Sic Deus potest facere, ut homo Christus quoad omnes sui partes simul sit alicubi, alibi autem secundùm solam carnem, quæ cum pane sacramentali comeditur, quod pessimè negat Bellarminus *T. III. de convers. l. IV, c. 21.* Sic potest revocare defunctos, & mortales æternitate donare, quod furiosè in-

ficiatur Plinius *l. VII, c. 55.* Potest juxtà promissionem suam facere, & facit, ut Christus quoad humanam naturam in statu gratiæ præsens sit ecclesiæ, eamq; gubernet & defendat, quod hodiè Calviniani blasphemè negant.

§. 274. Cum Deus extraordinariè agit, non agit *contrà*, sed *præter*, & *suprà* naturam: alioquin, si contrà naturam ageret, contrà semetipsum ageret, & seipsum everteret. Ubi commodè etiam distinguitur inter impossibilia *naturæ*, & impossibilia *naturâ*. *Illa* sunt, quæ per naturam fieri nequeunt; *hæc* verò quæ ex se & suâ natura fieri nequeunt, & destruunt essentiam vel potentiæ divinæ, vel objecti, circà quod Deus operari dicitur. *Illa* à Deo possunt fieri; *hæc* non item.

CAPUT XVI.

De

Sufficientia DEI.

§. 275. Sufficientia Dei est interminabilis tota simul & perfecta essentiæ ac vitæ divinæ possessio *Exod. VI, 3. Hag. II, 8. Act. XVII, 28. Jac. I, 17.* Non autem agimus hîc de perfectione Dei, quâ ei singulæ proprietates *seorsim* spectatæ, & quâ est, & quâ vivit, perfectissimè competunt, tanquàm simplicissimo & infinito enti: sed de eâ, quâ omnia attributa *conjunctim* spectata habentur ab illo numero perfectissimo & sufficientissimo.

§. 276

§. 276. Solus Deus est αὐταρκέστατος, *h. e.* sibi maximè sufficit, atq; infinities omnem creaturarum sufficientiam superat, & quoad objecta, & quoad principium habendi, & quoad modum. Deus n. (1) non aliquas tantum perfectiones obtinet, sed omnes (2) non habet necesse, ut aliunde accipiat: creaturæ autem omnem suam sufficientiam habent à Deo *Rom. XI, 1. XIII, 18. I. Cor. IV*, 7. (3) omnia habet modo perfectissimo *Matth. V, 28. II. Pet. I*, 4. Creaturæ autem determinato modo & secundum quid perfectionem obtinent, quatenùs *vel* imaginem, *vel* vestigium quoddam Dei habent, & quò proximiùs ad archetypum accedunt, eò sunt perfectiores.

§. 277. Ex sufficientia Dei, mediante intellectu & voluntate ejus, oritur *Beatitudo*; intervestu autem alicujus respectus extrinseci, oritur *Gloria Dei.* Intellectus divinus comprehendit objectum, quod est ipse Deus: sed ejus actus circà objectum non esset actus felicitatis, nisi Voluntas perpetuò objecti beatifici, *h. e.* essentiæ divinæ intuitum qs. desideraret, & in eo acquiesceret.

§. 278. *Beatitudo* Dei est actus vitæ Dei, quo ille fruitur sufficientiâ suâ per intellectum plenè cognitâ & per voluntatem summè amatâ *Genes. XVII*, 5.

§. 279. *Gloria* DEI est excellentia DEI super omnia *Rom. I, 29.* IX, 5. *Ps. VIII, 6. Es. VI, 3.* Dicitur autem variis modis: vel enim *absolutè* sumitur, & significat perfectionem Dei, s. potentiam, sapientiam, bonitatem, quatenus est gloriosa, i. *h. e.* fundamentum & materiam gloriæ præbet *Exod.* XXXIII, 18. 20. XXXVI, 8. Vel *relativè*, quoad creaturas, à quibus celebrari & glorificari debet *Es* XLII, 5. *Job.* XI, 4. *Joh.* VII, 19. IX, 24. *Rom.* IV, 20. vel *per Metonym. effecti* notat beneficia Dei gloriosa *II. Cor. III, 18. Eph. III, 16.* inprimis æternam felicitatem, quæ maximè est gloriosa. *Rom.* IIX, 18. II. *Cor.* IV, 4. vel *per metonym. signi* dicit symbolum gloriosæ majestatis divinæ I. *Sam.* IV, 21. *Ps.* LXXIIX, 61.

§. 280. Omnis actus divini finis ultimus est gloriæ divinæ illustratio. Proprietates enim Dei gloriosæ se exserunt per actus & opera illis conformia, & quidem eo ordine ac modo, qui accommodatur statui, vel potius, mutationi objecti circà quod DEUS proprietates illas exserere statuit. Peccatum itaq;, cùm non sit opus DEI, non est medium per se illustrandi gloriam DEI, sed tantum occasio, non quidem data in hunc finem, (utpotè ad quem non accommodatum est suâ naturâ peccatum,) sed à Deo sumta, & per mirabilem suam sapientiam usurpata: non peccatum ipsum, sed divina permissio peccati est objectum providentiæ divinæ. §. 281.

§. 281. Ex gloriâ Dei resultant incomparabilitas, admirabilitas, & adorabilitas.

§. 282. *Incomparabilitas* DEI est, quâ ei nihil potest ullo modo æquiparari *Deut. III, 24. Dan. IV, 32. Sap.* XI, *23.* Hinc Augustinus *l. VII conf. cap. 11.* inquit: *Inspexi cætera infrà te, & vidi, nec omninò esse, nec omninò non esse: esse quidem quoniam abs te sunt; non esse, quia id, quod tu es, non sunt: id enim verè est, quod immutabile est.* Conf. Lombardus *l. I, sent. dist.* IIX, *lit. A.* Egregiè Scaliger: *Omnia hæc, non dico, singula, sed omnia, atq; etiam cuncta perfecta, ita ut ex iis unum fiat, si cum DEO conferantur, non solùm mutila & manca, sed etiam nihil, atq; etiam, s. liceat, s. non liceat dicere, minùs quàm nihil sunt.*

§. 283. *Admirabilitas* Dei est, quâ universæ creaturæ intellectualis intellectum suspendere potest, ut, licet omnem vim adhibeat, non tamen satis rimari possit naturam DEI, sed vix queat subinspicere in ejus proprietates. Rectè dicit Aristoteles *l. II. Metaph. c. 7. Deus semper est quiddam mirabile.*

§. 284. *Adorabilitas* Dei est, quâ ipsi debetur cultus religionis. Sub hoc cultu comprehenduntur omnes virtutes primæ Tab. Decalogi, Fides, Spes, Caritas, primariò in ipsum directa, & propter ipsum exercita, invocatio, juramenti religiosi præstatio. Quæ omnia sunt exercitia

adorabilitatis divinæ, quibus homines DEUM glorificare dicuntur, quãdo eum, ut sapientem, justum, misericordem, & συμπάθειαν, ut αὐτάρκειαν agnoscunt & celebrant. Nam sufficientiam & beatitudinem Dei actus religionis & digne, & utiliter apud creaturas consequitur: *dignè*; quia à se est, & creaturas omnes facit: *utiliter*; quia religiosi cultus perfectionem & beatitudinem ipsis communicat.

§. 285. Modi, quibus Deus patefacit gloriam suam, sunt duo generales: *Unus* per effecta sufficientiæ ac excellentiæ ejus convenientia *Psal.* XIX, 1. *Joh.* I, 14. II, 11, *Alter* per signa, nempè, patefactionem verbi, lumen usitatum *Matth.* XVII, 2. *Luc.* II, 9. vel etiam oppositam luci densam tenebrositatem *Exod.* XVI, 20. II. *Reg.* VIII, 11.

CAPUT XVII.
DE
Creatione.

§. 286. ACtus divinæ potentiæ generales sunt duo, *Creatio* & *Gubernatio* sive Providentia.

§. 287. De creatione, quid sit, variant Doctorum Scholasticorum sententiæ, *nonnullis* statuentibus, esse volitionem divinam: *aliis*; relationem creatoris ad creaturam: *aliis*; veram ac propriam mutationem: *aliis*; actionem transeuntem:

tem. *Primum* falsum esse, constat ex eo, quod volitio divina est creationis principium, & æterna. *Secundi* absurditas facile demonstratur, quia eo pacto creare nihil aliud esset, quàm referri ad creaturas: referri autem ad creaturas, supponit creaturas esse. Quoad *tertium*, distinguimus inter mutationem *latè*, ac *in rigore* sumtam: *illa* est quævis rei inceptio & desitio; *hæc* v. transitus subjecti ab uno termino in alium. *Illa* datur in creatione, quia tunc res incipiunt esse, quæ anteà non erant: *hæc* v. non datur, cùm in creatione nullum præexistat subjectum, quippè, quæ fit ex nihilo. Remanet ergò, creationem esse *actionem realem*, quia Deus creando verè & realiter agit, *h.e.* actualiter influit in effectum. *Dices;* actio realis non fit sine mutatione. *Resp.* creatio potiùs fit per emanationem, quàm per propriè dictam efficientiam; emanatio a. fit sine motu: sic risibilitas à ratione, calor ab igne manat sine motu intercedente.

§. 288 De Creatione DD. Scholastici ad unum omnes docent, quod sit *productio rei ex nihilo:* quæ assertio habet suum fundamentum in Scriptura *Es.* XLI, 24. *Rom.* IV, 17. *Hebr.* XI, 3. sed ritè explicanda est. Nam etiam species intelligibiles & formæ sunt ex nihilo, nec tamen concesserim, eas creari. *Si dixeris;* species illas & formas esse ex materiâ præjacente, non tamen ex-

indè sequitur eas generari, quia etiam anima Adami fuit ex materia præjacente, nec tamen producta fuit per generationem. Distinguendum ergò hîc est inter productionem ex *materiâ ingrediente*, & ex *materiâ præjacente*: quæ posterior rursus est duplex: vel *cum dependentia naturali*, vel *cum obedientiali*; posteriorem tantùm creatio admittit; priorem respuit. Definitur ergò creatio, quod sit *constitutio entis ex non-ente negativo, sine dependentiâ naturali ad materiam physicâ.*

§. 289. Creationis distinctè consideramus *tùm* causas, *tùm* adjuncta, *tùm* effectum.

§. 290. *Causa efficiens* est unus verus & solus DEUS. *Dico* I. Verum Deum esse causam efficientem creationis. Deus trinus in personis est verus Deus. E. &c. *Gen. I, 26.* De Patre constat ex *Act.* IV, 24. *Hebr.* I, 2. De Filio *Ps.* XXXIII, 6. I. *Cor.* VIII, 6. De Spiritu S. *Job.* XXXIII, 4. *Ps.* CIV, 30. Ubi nota (1) causam efficientem creationis esse saltem *unam*, non plures. Creatio n. est effectus omnipotentiæ divinæ: sicut ergò non rectè dico, 3. esse omnipotentes, sic nec, 3. esse creatores, (2) male à Goclenio 3. personas dici *causas socias* creationis. Nam in causis sociis una non sufficit ad effectũ producẽdũ, & in causando una non agit id, quod agit altera. In creatione v. non sunt multæ partiales operationes, quarũ una huic; altera illi personæ cõpetat, sed

est

est una simplicissima actio, propter unitatem essentiæ & potentiæ. *Dices*; Patres, ut Basilius in *Orat. de Sp S.* patrem vocant creationis causam πρωτουργικὴν; filium, δημιουργικὴν; Spir.S. τελειωτικὴν. *Resp.* Saltèm indicant diversum attributionis modum, & agendi ordinem. (3) male à Samosatenianis Filium dici *creationis instrumentum*: creat enim virtute propriâ, non alienâ *Dices*; ipsa Scriptura dicit, omnia esse creata à patre *per* filium. *Resp.* & particulæ distinctivæ non diversitatem, sed ordinem agendi notant. β ly *per* Scriptura etiam tribuit agenti principali I. *Cor.* I, 9. *Gal.* I, 1. *Dico* II. Solus Deus creat, & creare potest. De fide illud omninò certum est, quia scriptura ex potentiâ creandi verum Deum æstimat, & ab aliis distinguit *Psalm.* XCVI, 5. *Es.* XLV, 5. *Jer.* X, 10. Nec reclamat Ratio: Nam si creatura posset aliquid producere ex nihilo, vel produceret independenter à Deo, vel dependenter. *Non illud*; quia, sicut non est independenter, ita nec independenter operari potest: cui enim innititur in esse, ei etiam innititur in actione. *Nec hoc*; quia ἐκ τοῦ μὴ ὄντος aliquid producere posse, est virtutis infinitæ *Phil.* III, 21. quia est infinita distantia inter ens & non-ens. Jam simpliciter implicat, esse creaturam, & habere potentiam infinitam, s. dependenter, s. independenter. Falsus ergò est Durandus, qui

qui *in II.d.I.qv.4.* asserit, potentiam creandi posse creaturæ communicari ut causæ principali, licet non secundum totum suum ambitum, (quia tunc idem seipsum creare posset,) tamen quoad aliquem peculiarem effectum. Quæritur; *An creatura possit esse creationis instrumentum?* Resp. Neg. de instrumento physico & verè ac propriè activo, s. agat per vim intrinsecam & connaturalem, s. per communicatam. Vide Joh. de Rada *p. II. contr. II. p. 45. & seqq.* & Vasquetz *Disp.* XXIIX, *c.* 2. *Dices* 1. aqua Baptismi elevatur ad efficiendam gratiam 2. ignis infernalis ad torquēdos spiritus 3. verba consecrationis ad transsubstantiandum. Hæ sunt rationes Swaresii *Disp. Met.* XX, *Sect.* III. *n.* 7. Resp. ad 1. ipsi Theologi Scholastici docent, sacramēta non operari physicè ad effectum suum, sed solùm, ut instrumenta moralia. Videatur Vasquetz *l. c. c.* 6. Scotus in *IV. dist. I. qu. 1.* Melchior Canus *in Relect. de sacram.* Mart. Ledesma *in IV, dist. I, q. 3.* Gvilielmus Parisiensis *l. I. de Sacr.* Becanus *Sum. Theol. Schol. p.* III, *tract.* II. *c. 3.* Ad 2. Non elevatur ignis ut instrumentum physicè concurrens ad illum effectum, quia ex se non habet virtutem ad talem effectum. Ad 3. Figmentum est Transsubstantiatio Pontificia, sicut alibi pluribus docetur: ut taceamus, quod Vasquetz docet *l. c. Verba sacerdotis in consecratione non operari physicè ad trās sub-*

stan-

stantiationem; sed solum, ut instrumentum morale per modum impetrationis.

§. 291. Creationis *causa impulsiva* est Dei bonitas, secundum quam propendet ad bonum suum nobis cõmunicandum *Ps.* CXV, 3. CXXXV, 7. Rectè Damascenus *l.* II. *de O. F. c. 2.* docet causam rerum omnium esse ὑπερβολὴν ἀγαθότητος divinæ. Causa *Ordinatrix* est Dei Sapientia: *Executrix* est potentia divina.

§. 292. *Materia* creationis *ex quâ* est nulla. Hoc est, quod vulgò dicitur, *omnia creata esse ex nihilo.* Ubi α intellige *nihilum* non *privativum*, sed *negativum* β vocem *ex* non de *causa materiali*, sed de *termino* & *ordine*, ut sit sensus: cùm nihil ab initio esset, posteà, quicquid est, fuit. γ τὸ *Nihil* hîc excludere, non solum concursum causæ materialis, ut vult Swaretz *Diss. Met.* XX. *sect.* I, *n.* 1. sed præexistentiam rei creandæ, secundum quodcunque sui. Assertum est Fidei *Prov.* VIII, 24. *Heb.* XI, 3, *Rom.* IV, 17. II. *Cor.* IV, 6. Confirmatur rationibus. Nam qui est omnipotens, non indiget præjacente materiâ. Et firmissimè colligitur: Antè creationem *aut* aliquid fuit extrà Deum, *aut* nihil. *Non illud*; quia hoc foret Deo coæternum, & ex substantiâ Dei, adeoque ipse Deus. E. hoc.

§. 293. Ex nihilo creata sunt omnia, *vel* immediatè, *vel* mediatè. Ubi suppone duplicem esse

imme-

immediationem, sc. *efficientis*, & *materiæ*: illa cœfficentem s. sociam causam; *hæc* materiam præexistentem excludit. *Priore* sensu omnia sunt ex nihilo creata immediate; *posteriore* non item.

§. 294. *Immediatè* ex nihilo creata sunt celum & terra, *h.e.* nondum disposita & exornata naturalium corporum materies & seminarium.

§. 295. Hæc materia primitùs condita non caruit omni planè forma. *Dices*; in *lib. Sap.* vocatur ἀμορφος. *Resp.* ratione consecutæ distinctionis & exornationis. Undè malè nonnulli hanc materiam primitùs conditam confundunt cum materia prima Aristotelis. Nam materia prima Aristotelis dicitur *prima*, non ratione creationis, sed generationis: Deindè materia prima non omni caret forma: (sed mente saltèm abstrahitur à sua forma,) materia v. primitùs creata dicitur carere formâ, scil. eâ, quæ posteà sine alteratione ex nihilo corporibus naturalibus fuit introducta.

v. 296. Materia primitùs creata consideratur vel, *ratione substantiæ*, sic fuit, partim terrea, partim aquea & lutosa: vel *quoad quantitatem*, sic fuit ingens & qs. sine fundo moles; vel *quoad qualitatem*, sic fuit tenebricosa & ἀόρατος, *h.e.* caruit omni luce, virtute & efficaciâ.

§. 297. *Mediatè* ex nihilo creata sunt opera naturalia, quæ ex rudi illâ indigestâq; massâ fuerunt

runt formata. Recte & hæc dicuntur *ex nihilo* creata (1) *ratione principii materialis*, quod ex nihilo formatum est (2) *ratione indispositionis*, quia materia illa primitus creata fuit naturaliter inhabilis ad suscipiendam formam talem, qualem ei creator ex nihilo & sine alteratione induxit. Atque ita materia primitùs condita dici potest *nihilum*, non quidem *merè negativum*, sed nihilum *per indispositionem*, quia non habuit potentiam naturalem, sed obedientialem tantùm, eamq; nonnisi in ordine ad divinum agens.

§. 298. *Forma interna* creationis continetur in *genere*, quod est actio, & quidem, per emanationem; *externa* est in modo & ordine creationis, quod citrà alterationem, dicendo facta est.

§. 299. *Finis* creationis est *vel* ϐ, sc. gloria & cultus Dei *Ps.* XIX, 1. CXLV, 10. *Es.* XLIII, 32. *Apoc.* IV, 11. 12. Pessimè ergò censuit Origenes, *lib.* III. *de princ.* creaturas naturales nonnisi ex occasione & per accidens fuisse factas: nimirùm, ut in eis, ceu in ergastulis, punirentur diversi spiritus, qui multò antè productionem rerum corporatarum diversimodè peccassent: quæ sententia multos olim invenit sectatores, teste Cyrillo *l* I. *in Joh. c. 9.* quamvis contraria Scripturæ, quod ostendit Augustinus *l.* XI. *de C. D. c. 23.* *Vel* ω̃, bonum creaturæ, inprimis hominis.

§. 300.

§. 300. *Adjuncta* creationis *ex causâ efficiente* sunt 1. quod sit *libera*: hinc nec citiùs, nec tardiùs mundum creavit 2. ἀκίνησίαν, s. *vacua à mutatione* in creatore. Non enim novâ voluntas creatorem subiit, sed novum tantùm opus externum secundum æternam ejus voluntatem prodiit. Ideoque Deus creando non transivit *ἀ ab otio ad negotium*: minimè enim tale otium, vel quies DEO convenit, quæ sit privatio motûs: Nam si moveri non potest, quiescere quoq; nequit. *β à potentia ad actum*: ipse mundus potiùs à *potentiâ*, non quidem *positivâ* (nihil enim erat, in quo mundus esset potentiâ,) sed *negativâ* in actum quodammodo exiit.

§. 301. *Adjuncta ex modo* sunt 1. quod creatio est ἔναρχον, facta in & cum temporis principio. Ubi intellige *tempus extraordinarium*, s. durationem aliqualem. Nam propriè dictum tempus, quod mensurat motus cœli, nondum erat, quia cœlum demum quarto die cõditum. *Gen.* I, 1. Aristoteles, qui mundum ab æterno extitisse putat, rectè quidem contrà Antiquos disputat, in tempore eum generatum non esse, (non n. generatq; sed creatq;,) errat tn. vehementer, cum ab æterno esse contendit. Rationes Aristotelis, Procli & Averrhois solvit Thomas *p. I. qv.* XLVI. *a.* 1. & *l.* II. *cont. gent. c.* 31. Quæritur; *An mundus per omnipotentiam divinam ab æterno produci potuerit?*

Gre-

Gregorius Ariminensis *II. sent. dist. 1.* Swaretz *l. c. Sect. VI. n. 5.* & alii affirmant. Sed rectè negat Henricus Gandavensis *quodlib. I. qv. VII.* Nam implicat, esse creaturam, & esse ab æterno. Idem ex Recentioribus docent Toletus *lib. VIII. Phys. c. II. q. 2.* Rapinæus *Disp. XLII, Philos. qv. 7.* Leon. Lessius *l. IV. de perfect. div. c. 2.* Gvilielmus Estius *in II, d. I, § 11.* Camerarius *part. II, q. 23.* Expressè sane Hugo de S. Victore *l. I, de sacr. cap. 10. Fugit*, inquit, *divinam virtutem, ut aliquid sibi coæternum faciat.* conf. Damascenum *l. I, de O. F. c. 8.* Augustinum *l. cont. Felician. c. VII.* Fulgentium *l. de F. ad Petr. c. III.* Athanasium *orat. II. cont. Arianos.* Vide suprà, ubi de æternitate egimus 2. est ἐξαίμερον. Augustinus *l. IV. de Genes. ad lit. cap. 26.* statuere videtur, omnia ἀθρόως, καὶ ἐν στιγμῇ condita esse, sed ipse sibi non constat, sicut mox patet ex *c. 28.* Quæritur; *An Deus potuerit omnia in momento condere?* Aff. quia hîc nulla contradictio, nec ex parte Dei creantis, nec ex parte creaturæ.

§. 302. *Effectus* creationis sunt omnes res tàm substantiæ, quàm accidentia; quarum *illæ* dicuntur creatæ; *hæc* concreata.

§. 303. Rerum creatarum *adjunctum* est bonitas. *Gen. I, ult. Sap. I, 14.* quæ loca probant, quod nulla res vel in se mala, vel in ordine ad aliud noxia fuerit creata. Vis noxia, quæ hodiè in non-

nullis creaturis cernitur, aliundè accessit, nempè, à corruptione naturæ, &, quæ ex corruptione hâc proficiscitur, præposterâ ac perversâ rerum applicatione *Rom. VIII, 20.* Quæritur; *undè ergò malum?* Resp. (1) malum *formaliter* non est *res* aliqua, sed *rei privatio* vel corruptio: res enim habens entitatem realem & bonum reciprocantur. Sententiam hanc non solùm Græci, sed Latini etiam Patres ambabus palmis amplexantur. Ex Græcis consule Clementem Alexandr. *l. IV. Strom.* Athanasium in *Orat. cont. gent.* Præ ceteris egregiè Basilius: ὅλως μήτε θεὸν αἴτιον ἡγοῦ τῆς ὑπάρξεως τοῦ κακοῦ, μήτε ἰδίαν ὑπόστασιν τοῦ κακοῦ εἶναι φαντάζου. οὐ γὰρ ἐστὶν ὑφεστὼς ὥσπερ τι ζῶον ἡ πονηρία, οὔτε οὐσίαν αὐτῆς ἐνυπόστατον παραστῆσαι ἔχοιμεν. στέρησις γὰρ ἀγαθοῦ ἐστὶ τὸ κακὸν. Ex Latinis vide Augustinum *l. VII. conf. c. 12.* Ambrosium *l. I. c. 8. Hexaëm.* (2) malum semper est *in* aliquo *bono*, sicut claudicatio in pede, cæcitas in oculo. Et hoc est, quod Bonaventura inquit, *malum substantificari in bono.* Hinc Augustinus in *enchir. c. XIV. Si bonum non esset, in quo malum esset, prorsùs nec malum esse potuisset.* (3) Malum est *à bono*, non quidem κατ' αὐτὸ, (sic enim malum non habet causam,) sed *per accidens.* Nam *aut* malum mali causa est, *aut* bonum: *non illud;* quia malum per se nihil est. *E. hoc.* Sic docet Augustinus *l. I. cont. Jul. c. 3.* & Ambrosius *l. VII. de*

Isaac

Isaac & anima. (4) malum non habet *causam formalem*, quia est absentia formæ: nec *materialem*, nisi quatenus est in bono, ut privatio in subjecto: nec *finalem*, quia finis aliquid bonum est; malum a. quâ malum non intenditur: sed *efficientem*, quæ *vel* efficiendo, *vel* deficiendo producat. (5) malum aliud est *suâ naturâ* tale, aliud πρὸς τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν, ut distinguit Damascenus *l. IV. O. F. c. 20.* vel, ut Tertullianus *l. II. adversf. Marcion.* aliud *delicti*, aliud *supplicii*. Deindè, malum aliud est *naturale*, quod privat bono aliquo naturali *v. g.* cæcitas, mors &c. aliud *morale*, quod privat rectitudine morali, quale est omne vitium & peccatum. (6) Malum pœnæ est à Deo *I. Sam. II, 6. Es. XLV, 7. Amos III, 6.* & immittitur εἰς γυμνασιαν, ut loquitur Macarius *homil. VII.* & ad utilitatem nostram, sicut prudens Medicus dolores inducit corpori ægroti ad sanitatem: ut dicit Basilius *l. c. Conf. Sap. I, 13.* causa tn. originaria hujus malieſt in nobis ipsis. (7) Malorũ naturaliũ Deus autor aliquo modo dici potest, non deficiendo, sed efficiendo. Absurdum n. est, potentissimum ac sapientissimum Deum aberrare ac deficere in agendo. (8) Malum morale nullatenus est à Deo, quia Deus est ipsa justitia *Ps. V, 5.* Inventi olim sunt quidam, Blastus & Flotinus nominati, qui Anno Christi CIICII. affirmare ausi sunt, malum esse à Deo, & Deum mala facere: adversus quos Irenæus duo-

bus pugnavit libris, teste Evsebio *l. V. Hist. Eccles. c. 20.* & Nicephoro *l. IV. c. 20.* Idem dixerunt Seleuciani & Hermiani, teste Augustino *l. de hæres. c. LIX.* Ut Marcionitas & Manichæos taceam, Calviniani, qui se Orthodoxos prædicant, Deum peccati causam statuere non formidant. Vide Piscatorem in *disp. de prædest.* Zanchium in *Miscell.* &c. Horrendum dogma est, quod etiam sanioribus ethnicis probari non potuit. Aurea vox est Platonis *l. II de Rep.* Κακῶν φάναι θεὸν ἄιτιον ἵνι γίνεσθαι ἀγαθὸν ὄντα διαμαχητέον παντὶ τρόπῳ, μήτε ἵνα ταῦτα λεγηται ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι, μήτε ἀκούειν μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἄνευ μέτρου μηθολογοῦντα, ὡς ἔτ' ὅσια ἂν λεγόμενα οὐ λέγοιτο, ἔτε ξύμφορα ἡμῖν, ἔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὐτοῖς. Plura vide suprà.

CAPUT XIIX.

DE

Gubernatione & Providentiâ.

§. 304. ALter potentiæ divinæ actus est actus *Providentiæ*. Adstruitur *tùm* ex creatione: quis n. otiosum credat esse rerum omnium conditorem? *tùm* ex Dei bonitate, quæ cùm summa sit, non potest non infinities major esse curâ animantium etiam ἀλόγων: *tùm* ex ipsius sapientiâ, quæ non potest non in optimâ guber-

natio

natione & administratione relucere. Optimè Chrysosthomus *Homil. XIX. in Ep. ad Eph. Si navis, quantumvis firma & instructa, tamen in fluctibus consistere non potest sine gubernatore; quantò minus orbis universus constare potest, sine curâ & gubernatione Dei?*

§. 305. *Objectum* providentiæ divinæ sunt res omnes, etiam minutissimæ & vilissimæ. Nam, *si non est injuria & probrũ Dei, minutissimas quasq; res fecisse; multò minus probrum illius eas factas regere*, inquit Ambrosius *l. I. de off. c. 13.* Vide Scripturam *Sap. VI, 8. VIII, 1. Hebr. I, 3. Eph. I, 11.* Cum a. dicimus objectum providentiæ divinæ esse omnes res, loquimur de providentia *generali*, ejusq; objecto *adæquato*, non *primario*, quod est homo *I. Cor. IX, 9.*

§. 306. Actus providentiæ divinæ sunt *conservatio* & *gubernatio.*

§. 307. *Conservatio* est vel *existentiæ*, vel *virtutis.* Conservatio *existentiæ* est essendi, vel *existendi continuatio*, ut definit Scaliger *exerc. CCL.* Probat eam Scriptura *Sap. XI, 26. Act. XVII, 28. Col. I, 17. I. Tim. IV, 10. Hebr. I, 3.* Et cõfirmat naturalis ratio, quia creatio & cõservatio realiter non differũt, sed saltèm connotatione: illa dat essendi initium; hæc continuationem, rebus incorruptibilibus quidem, ita esse earum prorogando, ut ab initio dedit: corruptibilibus v. in locum ea-

rum, quæ corrumpuntur, semper nova individua sufficiendo, & ad eorum productionem concurrendo. Et hæc conservatio est vel *totius speciei*, vel *individuorum*. *Virtutis* conservatio est, quâ Deus conservat qualitates & quantitates.

§. 308. *Gubernatio* Dei est, quâ actionibus & passionibus creaturarum præsidet, easq; ad certum finem ordinat. Hanc adserit Fides *Gen. VIII, ult. Job, IX. 5. Ps. CXLVII, 8.* Confirmat Ratio: Nam Deus omnia propter finem fecit, ergò etiam omnia ad finem ordinat. Quin, omne bonum est à Deo: pulcerrimus autem rerum ordo & harmonia est maximum aliquod bonum. *Dices*; quæ contingenter, vel liberè fiunt, non rarò fine suo excidunt: *illa*, quia possunt impediri; *hæc*, quia mediis præscriptis possunt non-uti. *Resp.* Sic providentia divina frustratur quidem *fine particulari*, qui est bonum creaturæ intentum; non tamen *universali*, qui est manifestatio majestatis, bonitatis & justitiæ divinæ. Sicut n. in vitæ æternæ donatione bonitas; sic in damnatione justitia Dei patefit.

§. 309. Gubernationis actus speciales sunt, motus, auxilium, concursus, permissio, de quibus omnibus ad nauseam Theologi moderni.

§. 310. Gubernatio divina I. est vel *mediata*, vel *immediata*. *Mediata* est, quando Deus ministerio causarum secundarum utitur ad certa

opera

opera perficienda, (Ubi nota (1) Deus mediis ſ: inſtrumentis utitur, non *neceſſariò*, ſed *liberâ voluntate*. Non enim indiget Deus cauſarum ſecundarum adminiculo, ſed eas effectûs ſocietate honorat (2) media, quibus utitur providentia divina, non ſunt à providentiâ *excludenda*, ſed in eam *includenda*. Ordinatiò enim quæ providentiæ eſt actus, non tantùm finis eſt, ſed etiam mediorum..) Media ſ. inſtrumenta gubernationis divinæ ſunt vel *animata*, vel *inanimata*: *illa* ſunt vel *intelligentia v.g.* angeli, homines, vel *bruta v.g.* Bileami aſina. *Inanimata* ſunt, terra, celum, pluvia, ſulphur, ignis &c. Ubi nota I. Deus ad omnes actiones creaturarum concurrit, quia aliàs actio creaturæ eſſet ens independens, & ſic ipſe DEUS. *Dices* 1. dependet remotè à Deo. *Reſp.* Ergò non tanquam à cauſâ primâ & principali 2. ſi creatura non habet ſufficientes vires ad ſuas actiones, erit tanquàm cauſa inſtrumentalis. *Reſp.* diſting. inter cauſam ſufficientem ac perficientem. II. Creatura eſt ſuæ actionis cauſa principalis. Aliàs enim homo non ageret cum libertate, ſed ageretur; nec eſſet cauſa peccati. III. Deus concurrit cum creaturis, non ſolùm vim agendi naturalem, quam illis dedit conſervando, ut voluit Durandus; nec ſolùm movendo & applicando illas ad agendum, ſicut homo applicat cultellum ad incidendum movendo ipſum: quam ſententiam tenet Thomas, Capreolus, Ferrara;

rara; sed eandem numero actionem producendo, & eundem numero effectum attingendo. Adeoq; Deus non tàm influit in causam secundam, quàm in actionem ejus, nec concursus Dei est prior actione causæ secundæ, sed sunt simul. *Dices*; una numero actio non potest immediatè provenire à duobus agentibus. *Resp.* potest omninò, quando agentia sunt subordinata. *Dices*; E. sunt duo concursa. *Resp.* secundum rem nonnisi unus est, sicut una actio: secundùm denominationem sunt duo, quia duæ causæ concurrentes. Frustra ergò est Alvaretz *Disp. XIX. §. 7. concl. 7.* & Jacobus Revius in *Swaresi. Repurg. s. in Notis ad Disp.* XXII. *Met. Sect.* III. *t. 2.* qui Swaresium carpit, quod Dei & creaturæ eandem numero actionem esse statuat, easque pro realiter diversis habent. Sed, si actio Dei est distincta ab actione creaturæ, aut antecedit, aut sequitur, aut comitatur. *Si illud*; (quod vult Revius, qui negat concursum simultaneum in ordine causandi, & prævium defendit:) necessitat: *si istud*; est frustranea: *si hoc*; actio creaturæ non dependet immediatè à DEO, sed ab aliquo effectu DEI, quod absurdum est statuere. IV. Sæpè homines in suâ actione non cogitant de eventu, quem Deus intendit, hinc fit, ut frequenter imprudentes impingant. Sic Augustus Cæsar indicens censum toti terrarum orbi, non cogitavit de nativitate Messiæ.

V. ir-

V. Irritæ sunt causæ secundæ, nisi a primâ juventur, *Ps.* CXXVII, 1. *Os.* II, 8. VI. In mediis itaq; divinæ providentiæ non hærendũ, sed ad causam primam semper respiciendum. VII Positis causis secundis in actu, nihilominus divina providentia effectum istum inhibere vel mutare potest (quod patet de igne Babylonico) β vel *necessaria* vel *contingentia*. *Illa* sunt, quæ secundùm naturam suam necessariò certum producunt effectum: *hæc*, quæ contingenter. Et necessariorum vicissim alia sunt per se ac absolutè, s. *necessitate consequentis*; alia ex hypothesi & *necessitate consequentiæ* necessaria. Contingentium ratio ἐπὶ τὸ πλεῖστον attribuitur causis & effectis ratione futurorum casualium, fortuitorumq;, Quæritur; *An hæc subjecta sint gubernationi divinæ?* Aff. propter exempla, venditionis Josephi, eamq; insequentis tantæ prosperitatis *Gen.* XLV, 8. L, 20. hominis cum hydria discipulis occurrentis *Luc.* XXII, 13. Thomas docet, quomodo aliquid simul & provisum & fortuitum esse queat; *hoc*, in quantum effectus ordinem particularis causæ effugit; *illud* respectu causæ universalis, à cujus ordine subtrahi non potest. Conf. Augustinus *l.* I. *cont. Acad.* c. I. & *l.* I. *retract. c.* I. Etsi ergò eventus fortuiti ratione decreti divini sint necessarii, tamen neeessitas illa est conditionata; quæ non tollit contingentiam. Potest enim effectus esse contingens, propter causam proximam contingentem & indeter-

minatam, cùm Dei decretum sit causa remota. *Deindè*, providentia DEI non mutat rerum naturas, sed res omnes gubernat juxtà earum naturas, atq; ita contingentes causas regit, ut contingenter agant. γ Sunt vel *bona*, vel *mala*: *Illa* sunt tùm *naturalia*, ut substantiæ, motus, actiones, perfectiones rerum; tùm *voluntaria* & moralia, qualia sunt virtutes. *Hæc* sunt, tùm *pœnæ*, tùm *culpæ*, hoc tn. discrimine, ut priora Deus *efficiat*, posteriora saltèm *permittat*. Malum pœnæ est, quod Deus ex justissimo judicio peccatoribus per aliquam boni privationem irrogat, fitq; interdum, ut malum pœnæ etiam sit malum culpæ, sed diverso respectu: malum culpæ est efficienter, prout fluit à causâ exorbitante ab ordine agentis primi; malum pœnæ est permisivè. Deindè etiam alium finem sibi propositum habet efficiens, alium permittens. Gubernatio *immediata* est, quâ Deus absq; ministerio causarum secundarum res gubernat *Matth.* IV, 4. ex *Deut.* VIII, 3. Sic *Gen.* II, 5. cùm nondum pluisset super terram, omnia tamen florebant.

§. 311. Cœterùm, de providentia divinâ circà *actus malos*, breviter aliquid dicendum est. Providentiæ hujus actus considerâtur, *vel* circà initium; *vel* circà progressum; *vel* circà finem & terminum peccati. *Circà initium* Deus agit, *vel* impediendo, *vel* permittendo. *Impeditio* ratione objecti est triplex. Nam impedimentum ponitur *vel* po-

testati

testati, *vel* potentiæ, *vel* voluntati. *Potestati* per legislationem divinam, quâ actus creaturæ ita circumscribitur, ut non sit amplius liber, nec citrà peccatum vel præstari possit, si vetitus; vel omitti, si mandatus. *Potentiæ* ponitur impedimentum, quando Deus impedit, ne creatura possit producere actionem, ad quam ex se propendet, & vires sufficientes habet. Sicut autem ut creatura aliquid efficere possit, requiritur, *tùm*, ut potens sit; *tùm* ut potentia nulla major vel æqualis ei opponatur; *tùm*, ut objectum habeat, in quod suâ potentiâ agere possit: sic inprimis quatuor modis à DEO ponitur impedimentum potentiæ α per essentiæ, quæ fundamentum est potentiæ, ablationem. II. *Reg.* I, *Es.* XXXVII. β per potentiæ ipsius ademtionem, vel diminutionem I. *Reg.* XIII, 4. *Rom.* VI. γ per majoris aut æqualis saltem potentiæ oppositionem *v. g.* abductioni Lothi per Abrahamum. δ per objecti, in quod tendit, subductionem *Joh.* VIII, 59. *Voluntatem* impedit Deus, quando facit, ne creatura velit actum producere, ad quem alioquin propendet & vires sufficientes habet. Hæc impeditio fit per actionem, quâ DEUS in voluntatem agit secundum modum libertatis ipsius, quæ actio dicit potest *Svasio*, quando Deus aliquo argumento voluntatem flectit, ne velit actum patrare, ad quem alioquin fertur. Sicut autem argumenta Svasionis sunt tria (1) quod sit actus facilis & præ-

stabi-

stabilis (2) utilis, amœnus & jucundus (3) honestus, justus, decorus: ita etiam triplici svasione Deus impedit, ne quis actum vitiosum perperrare velit. Persvadet enim menti, actum esse præstitu difficilem, vel etiam prorsus inpossibilem, aut inutilem, aut injucundum, aut inhonestum &c. *Matth.* XXI, 46. II. Reg. III, 26, 27. I. Sam. XXIV. Impeditioni opposita est *Permissio*, quæ est actus voluntarius Dei, quo efficientiam sibi possibilem suspendit, nec impedit potentiam vel voluntatem creaturæ. Et est triplex: *Una*, quâ Deus actum aliquem facit liberi arbitrii creaturæ rationalis, sic, ut non adstringat illum lege. *Altera*, quâ actum permittit potentiæ creaturæ. *Tertia*, quâ voluntati permittit. Permissio primi modi non est *h. l.* Nam *h. m.* DEUS semper impedit peccata: posterioribus modis permittit, quatenùs non impedit, impeditione efficaci. Permissionis consideramꝰ distinctè causam, objectum, & modum. *Causa efficiens remota* est jus permittendi; *proxima* & immediata ipsa voluntas. *Objectum* est actus vitiosus, non quà materiale, s. quatenus actus, (hic enim ex se indifferens est ac indeterminatus, moraliter nec bonus, nec malus, & ad hunc concurrit Deus efficienter) sed quà formale, s. quatenus ἄτακτον, inordinatus, vitiosus. Probè v. hic distingvendum est inter objectum voluntatis & permisionis, quarum quidem *hæc* ab *illâ* non distinguitur ut sic, (permisio enim Dei est volun-

luntaria,) sed objectivè, quia voluntatis objectum immediatum est permissio; permissionis v. peccatum. Deus non vult peccata, vult tamen permittere peccata ob fines bonos. Hinc peccata substant providentiæ divinæ, ut materia tantùm; res verò bonæ, ut materia simul & effectus. *Modus* permissionis est suspensio efficientiæ alicujus, quâ usurpatâ Deus impediret actum potentiæ vel voluntatis. Nam actus, qui permittuntur, ab agente perficiuntur, non à permittente: permittens enim cessat ab actione, quam permittit, & sinit alium agere. Hinc permissio divina non potest dici causa peccati. *Circà progressum peccati*, Deus agit dirigendo & determinando. *Directio* est *vel* in objectum, *vel* in finem: *In objectum* quando Deus peccatum, quod creaturæ permittit, non pro ejusdem arbitratu in quodvis quovis modo obvium objectum ferri patitur: sed interdum in objectum à peccante vel priùs non petitum vel saltem non præcisè petitum dirigit. *Prov.* XXI, 1. *In finem*, quando peccatum, quod permittit, non cuivis fini, quem creatura intendit, servire patitur, sed in illum finem dirigit, quem ipse vult *Genes.* XLII, 21. *Determinat* Deus peccatum hominis, quando permissioni suæ modum, & peccato terminum figit. *Modus* iste & terminus ponitur, *vel* per circumscriptionem temporis, *vel* per magnitudinis determinationem; Circumscribit tempus, *vel* quoad punctum, quando fiat;

do fiat; *vel* quoad durationem, quam diu durare debeat. *Punctum temporis* determinat DEUS, cum peccatum, ad quod patrandum propendet creatura, non illo tempore permittit fieri, quo vellet quidem creatura, sed, ut alio tempore fiat, sapienter ordinat *Joh.* VII, 30. *Modum durationis* ponit, quando spatium temporis, quo peccatum permissum durare poterat, circumscribit *Matth.* XXIV, 22. *Hos.* II, 6. 7. Magnitudini peccati ponit terminum, cum non permittit peccatum excrescere & majores vires sumere I. *Pet.* II, 9. I. *Cor.* X, 13. *Circà finem peccati* agit Deus puniendo, vel remittendo. *Pœna* est *vel* futuræ, *vel* hujus vitæ. *Futuræ vitæ* est triplex, α *damni*, s. privatio omnis gloriæ celestis II. *Thess.* I. β *sensus*, s. incredibilis cruciatus, in animâ & corpore sustinendus *Matth.* IIX, 12. *Es.* LXVI, 24. γ *Separationis Sap.* IV, 10. *Matth.* III, 20. *Apoc.* XIX, 20. Pœna *hujus vitæ* est *vel* externa, eaque *vel* privativa, *vel* positiva, quæ corpus tangit: *vel* interna, eaq; *vel* privatio gratiæ, *vel* traditio in potestatem mali. *Privatio gratiæ* est *vel* gratiæ habitualis, *vel* gratiæ, quæ in assistentiâ divinâ consistit. *Illa* dicitur, excœcatio, obduratio cordis; *hæc*, desertio. *Desertio* autem est *vel* παιδαγωγικὴ πρὸς σωτηρίαν; *vel* ἀπογνωστικὴ πρὸς πλείονα κόλασιν. *Traditio in potestatem mali*, est *vel* in mentem reprobam & efficaciam erroris; *vel* in desideria carnis & cupiditates peccati; *vel* denique in potestatem Satha-

Sathanæ *Rom.*I,28. II.*Thes.*II,9. II.*Cor.*IV,4. Remittit Deus peccatum, quando reatum peccati condonat, & pœnam peccato debitam aufert.

§ 312. II. Est vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. *Ordinaria* est, quâ Deus juxtà ordinẽ à se institutũ *vel* immediatè *vel* mediatè res gubernat. Estq; duplex: vel n. fit κατὰ τάξιν φυσικὴν s. *naturæ*; vel ἐσχατικὴν, s. *gratiæ* ordinem. (Ubi nota, quod Deus in gubernando institutum à se naturæ ordinem ordinariè conservet, *tùm* ut declaret bonitatem suam, naturam cooperationis consortio dignantem; *tùm*, ut eo crebriùs in memoriam nobis revocet, naturam à se creatam, ac propterea in abusum non trahendam esse; *tùm*, ut ostendat dominium suum in naturam; *tùm*, ut commoneat nos, ne præfidente quâdam temeritate, & providentiæ divinæ prætextu, media naturalia divinitùs ordinata negligamus.) Opus providentiæ divinæ κατὰ τάξιν φυσικὴν, est opus naturæ, quod Deus in rebus efficit secundùm illum modum, quem in primâ creatione indidit. Opus v. κατὰ τάξιν ἐσχατικὴν est opus gratiæ, quod efficit Deus secundùm beneplacitum voluntatis suæ in regenerandis & salvandis hominibus. *Extraordinaria* Providentia Dei est, cum vel immediatè, vel per instrumenta extraordinaria s. extraordinariè adhibita operatur extrà & supra ordinem suum, vel ἐσχατικὸν, vel φυσικὸν. De priori operandi modo hîc non est dicendi locus: posterioris effectus sunt *miracula*. §. 313.

§. 313 *Miracula* alia facta sunt κατ' ὁμιλίαν, alia κατ' οἰκονομίαν. *Priora* Deus in seipso edidit, sed ad hominem & hominis causâ, idq; *formâ* vel *evanidâ*, vel *perpetuâ*: *illâ*, cum in revelationibus suis se conspiciendum audiendumve præbuit, tali formâ, quæ post completum opus, evanuit *Exod.* III, 2. XIV, 19. *Matth.* III, 16. Act. II, 3. *hâc* nonnisi in solâ incarnatione Filii Dei. *Posteriora* Deus vel *in creaturis*, vel *circà creaturas* facit, idq; vel *immediatè*, vel *mediatè*; *priori modo*, sine omni creaturæ operâ, *v.g.* creatio, redemtio. *Posteriori modo*, per creaturas, tâquàm organa *Exod.* VII, 8. 9. *Jos.* X, 12.

§. 314. Utraq; sunt *vel* positiva, *vel* privativa. *Positiva*, cum efficitur aliquid novum, idq; triplici modo (1) *per rerum conversionem*, cum unum in alterum divinâ potentiâ est mutatum *Exod.* IV, 3. VII, 12. IIX, 17. (2) *per productionem*, cum res miraculosè procreantur, vel multiplicantur *Gen.* VII, 19 *Matth.* XIV, 19. 11. (3) *per mutationem*, quando id, quod erat præter naturam, mutatur in id, quod est juxtà naturam *Gen.* XVII, 16 I. *Sam.* I, 19. *Joh.* IV, 9. *Matth.* XV, 30. XXI. 19. *Act.* III, 7. *Privativa* miracula facta sunt, cum *vel* effectus aliquis naturalis fuit inhibitus, *vel* destructio aliqua miraculosa facta est in parte aliquâ naturæ, rerumve creatarum specie *Jos.* X, 13. *Luc.* XXIII. I. *Reg.* XIX, 8.

CAPUT

CAPUT XIX.

De
Tribus Personis in Deitate.

§. 315. HActenus de essentia divina *ut sic* & *absolutè*: nunc, ut *relatè* spectatur in tribus Personis.

§. 316. Annisus valdè est Scotus ex naturæ lumine Trinitatis dogma probare, sed σκοτεινῶς ferè & frustrà: latè eum impugnat Biel *I. sent. dist. X. q. 1.* Scoti sententiam incrustat Raymundus de Sabaude in *Theol. nat. à c. XLVI. ad LV.* Sed in iis, quæ sunt meræ fidei, ratiocinationem quærere, est debili oculo umbraculum subtendere, ne perstringatur insigniori lumine. Nos cum Thoma *I p. q. 32. a 1.* & Theologis super *h. l.* statuimus (α) seclusâ omni revelatione divinâ, impossibile esse per evidentem demonstrationem cognoscere, in DEO esse plures personas. Conclusio est de fide *Matth. XI, 27. XVI, 17. Joh. I, 18. Heb. XI, 1.* Confirmatur ratione: Ubi nullum est medium, naturali lumine cognoscibile, quod pluralitatem personarum in divinitate demonstret, ibi nulla est naturalis cognitio istius mysterii. Atqui in natura &c. E &c. *Minor* probatur, quia omne medium demonstrationis est *vel* causa, & parit demonstrationem *propter quid*, *vel* effectus, & dat demonstrationem *quia*.

Hîc neutra habet locum: non *illa*; quia in deitate non licet concipere causam: non *hæc*; quia omnes effectus creati procedunt à Deo, ut unus est; nec trinitas personarum per se requiritur ad operationes ad extrà. *Dices* 1. multi Philosophi antiqui hujus mysterii mentionem fecerunt. 2. & Patres multas similitudines ex natura adhibuerunt. Sic Augustinus *l. IX. de Trin. c. 4. Tria*, inquit, *in sole considerantur, quod est, quod lucet, quod calet, h. e. substantia, radius, calor. Ut radius de sole nascitur, sic Filius de Patre generatur: calor ab utroq; progreditur: sic spiritus ab utroq; spiratur. Resp.* ad 1. Philosophi illi loquuntur ex traditione, aut fide humana, quæ orta aliquo modo ex revelatione divina, saltèm remotè. Ad 2. similitudines Patrum non probant, sed tantùm adumbrant, & à posteriori declarant hoc mysterium. (β) Non tamen hoc mysterium est contrà, sed suprà naturam. *Probatur*; Nam veritas veritati, nec Deus sibi ipsi contrarius esse potest: Jam Deus est auctor luminis naturalis, & ratio naturalis, si non erret, veritas est. (γ) Ratio naturalis quodammodo declarat, non esse impossibile hoc mysterium; Sic enim rectè colligo, *tùm* ex bonitate Dei, quia bonum est communicativum sui, ergò ad perfectionem summi boni spectat, ut summo modo se communicet: hæc autem communicatio non est, nisi sit in eâdem naturâ;

naturâ: *tùm* ex perfectâ Dei beatitudine, ad quam spectat amicitia & societas: ergò hanc debet Deus habere in seipso, sine indigentia creaturarum: non est autem amicitia & societas, sine distinctione aliqua personarum.

§. 317. Dicturis nobis de tribus personis in deitate, primò occurrit definitio personæ, quam Boethius *l. de duab. nat. & una pers. Christ.* talem tradit: *Persona est rationalis naturæ individua substantia.* Suggillat hanc descriptionem D. Subtilis *in I. dist. 23. qu. un.* (1) quia etiam competit animæ, & DEO, ut à personis distinguitur (2) quia individuum propriè Deo non competit, sed indivisibile, adeoq; Deus non esset persona (3) quia rationalitas nonnisi per κατάχρησιν de Deo prædicatur (4) quia in Deitate sunt 3. personæ, non tamen 3. substantiæ, sicut Augustinus *l. V. de Trin. c. IX.* inquit: *Quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligat, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam, tres substantias, sed unam essentiam, vel substantiam, tres autem personas.* Conf. Hieronymum *Epist. LVII. ad Damasum.* Imò, si substantia dicit personam, filius non rectè creditur patri consubstantialis: nec enim is personam, sed essentiam cum patre communem habet. Correxit definitionem Boethii, eamq; clariorem reddidit Richardus de S.

Vict. *l. IV. de Trin. c. 23.* ubi hanc substituit: *Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*; ubi pro *rationalis* ponitur *intellectualis*, pro individua *incommunicabilis*, pro substantia *existentia*; (vel, quod malim, subsistentia) quæ omnia propriè in divinis reperiũtur, & in omnibus naturis intellectualibus completis. *Dices*; hâc ratione etiam anima separata est persona. *Resp.* incommunicabile duplex est, *ut quod*, & *ut quo*. *Illud* est, quod nulli communicatur, de quo possit in recto prædicari, *v.g.* Petrus, Paulus, & omnia individua. *Hoc* est, quod nullius potest esse forma & pars. Utraq; requiritur ad personam. Jam animæ separatæ prior incommunicabilitas quidem competit, quia non habet sub se aliquod inferius, cui communicetur: non autem posterior, quia nata est esse forma, quâ aliquid est tale.

§. 318. In Deitate sunt *plures personæ*, quod negavit Praxeas, apud Tertullianum *l. cont. Prax.* Noetus apud Epiphanium *hæres. LVII.* Hermogenes apud Augustinum *hæres. XLI.* Probat Fides (1) in illis locis, in quibꝰ vox אלהים in plurali numero cum verbo singulari constructa reperitur *Gen. I, 1.* (2) in quibus attributa pluralia de voce Dei singulariter acceptâ enunciantur *Jos. XXIV, 19. Ier. X, 10.* (3) in quibus locutio pluralis est de Dei actionibus *Gen. I, 26. III, 22. Es. LIV, 5.* (4) in quibus

quibus plurium personarum expressa fit mentio *Genes. XIX, 24. Ps. II, 7. Os. I, 7.* Natura pluralitatem personarum non esse impossibilem declarat, non quidem *positivè*, per aliquod medium, quia nullum hactenus inventum est, nec excogitari potest; sed *negativè*, solvendo rationes, quæ contrà adducuntur. Quæritur; *An in Deo sint plures subsistentiæ* s. *hypostases?* Resp. Litis seram olim hoc nomine Ecclesia Latina cum Græca reciprocavit, Græcis tres hypostases, Latinis unam tantùm hypostasin & tres personas dicentibus. Et apertè Hieronymus *l. c. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur.* Sed quia vox hypostasis ex usu loquendi, non tàm naturam, quàm naturæ suppositum designat, ideò progressu temporis etiam à Latinis recepta fuit, ut personam & hypostasin juxtà dicerent, sicut contrà Græci quoq; ad imitationē Latinorum 3. πρόσωπα s. personas dixerunt. Vid. Nazianzenus *Orat. XXI.* & Cyrillus *l. I. in Joh. c. 21.* Qr; *An in Deo sint plures substantiæ?* Resp. Rejecerunt hanc phrasin Hieronymus, Augustinus *ll. cc.* quibus addimus Richardum de S. Vict. *l. IV. de Trin. c. 6.* Contrà admiserunt Hilarius *l. de Synod* Anshelmus *de incarn. verbi c. VIII.* Nos advertimus, vocem substantiæ ambiguè dici, & (1) coincidere cum termino essentiæ (2) prout à substando denominatur, formaliter dicere relationem

substantis ad accidentia sustentata (3) prout dicitur à subsistendo, s. per se essendo, notare id, quod non inexistit alii, tanquàm subjecto. Juxtà *primum* vocis significatum, nonnisi una substantia est in divinitate: juxtà *secundum*, nulla, quia Deus nullis subsstat accidentibus. Quo sensu Augustinus *l. VII. de Trin. c. 5.* ait, *Deum abusivè dici substantiam.* Juxtà *tertium*, 3. personæ sunt 3. substantiæ, non tamen absolutæ, sed relativæ, quia alias essent accidentia. Rectè autem hîc monet Swaretz; propter ambiguitatem, &, quia vox (*substantia*,) simpliciter dicta, juxtà communem modum loquendi de hoc mysterio, magis videtur significare essentiam, absolutè non esse illam locutionem proferendam, sed cum aliquo addito quod æquivocationem tollat, ut si dicamus, esse 3. substantias communicabiles.

§. 319. In Deo sunt *tres personæ*, & non plures. Assertio est de Fide, & fundatur, *tùm* in distinctâ enumeratione trium, & non plurium personarum *Gen. I, 1. Ps. XXXIII, 6. Matth. XXVIII, 19. Luc. I, 36. Joh. XIV, 16. I. Joh. V, 7.* *tùm* in θεοφανείαις circà baptismum & transfigurationem Christi. *Matth. III, 16. XVII, 15.* *tùm* in trina repetitione vocis יהוה & Domini *Numer. VI, 24. 25. 26. Psal. LXVI, 8. Deut VI, 4. Es. XXXIII, 22.* *tùm* in trisagio illo Angelico *Es. VI, 3.* *tùm* in usu μορίων λατρευτικῶν *Rom. XI, 36. Col. I, 16.* Rationes suppeditat Thomas *I. p. q. XXX. a. 2.* qui videatur.

§. 320. In personis Deitatis consideramus *partim* ὁμοουσίαν essentialem; *partim* discrimen personale.

§. 321. Ὁμοουσία trium personarum Deitatis est, quâ in Patre, Filio & Sp. S. est una numero Deitas, & quâ Pater, Filius & Spir. S. sunt unius essentiæ & naturæ. Probat eam fides (1) in dictis Script. *tùm* generalibus, quæ unitatem Dei asserunt *Deut VI,4. I.Cor.VIII,4. tùm* specialibus, quæ duas tresve personas nominatim expressas, unum esse testantur *Joh.X,30. I. Joh. V,7.* (2) in prædicatione essentialium attributorum de singulis personis. Declarat ratio, quia in Deitate multiplicantur personæ: si ergò multiplicarentur deitates, multiplicarentur dii, multiplicarentur infinita, quod absurdum. *Dices*; produci repugnat deitati. E. Filius & Sp. S. non habent essentiam divinam. Antecedens probatur 1. quia repugnat, esse Deum, & non habere esse à se: Deus enim est ipsum esse per essentiam 2. omne productum est dependens: dependentia autem intrinsecè dicit imperfectionem 3. quod est productum, aut est ex nihilo, aut ex aliquo. Si illud; ergò erit creatum. Si hoc; ergò aliquod materiale compositum: quippè nec particula *ex* intelligi potest sine habitudine materiali. *Resp.* 1. *in genere*; Supponimus hîc (a) non repugnare, productum recipere idem numero

mero esse, quod est in producente, quia esse divinum est infinitum, & ideò communicabile omnibus personis, cum quibus non habet oppositionem (β) solam illam productionem, quæ communicat aliud esse, imperfectionem includere: nam, si productum aliud recipit, quàm est in producente, jam est in producto esse participatum, quod imperfectionem dicit. Suppositâ hâc veritate, facile intelligitur, & verum Deum posse esse productum, & talem productionem nullius imperfectionis ream agi posse. *Illud*; quia, qui habet esse divinum, est verus DEUS, s. illud habeat à se, s. communicatum ab alio: *hoc*; quia ipsamet natura divina omnem imperfectionem excludit. 2 *in specie* ad 1. disting. inter esse ab alio Deo, & esse ab alio, qui sit idem DEUS. *Illud* ponit manifestam imperfectionem, quia dicit pluralitatem deorum, & distinctionem in natura producentis & producti. *Hoc* nullam dicit imperfectionem. Quo sensu Hilarius *l.* IX. *de Trin.* ait: *Quamvis Pater major sit auctoritate dantis, tamen filius minor non est, cui idem esse communicatur.* Et hâc ratione non pugnant, esse ipsum esse per essentiam, & esse personam productam, quia per productionem accipit ipsummet esse per essentiam. Et eâdem ratione persona producta potest dici *esse à se*, *tùm* prout à se excludit principium extraneum s. alterius naturæ

turæ; *tùm* prout in producente negat omnem causalitatem & dependentiam; *tùm* prout habet naturam, quæ producta non est, quamvis ei per productionem sit communicata. Ad 2. productio ut sic non includit causalitatem, vel dependentiam, multò minus, quando productum non est aliud à producente. Ad 3. Utrumq; excluditur ex eodem principio posito. Nam cum per hujusmodi processionem communicetur personæ productæ eadem substantia producentis, necesse est, ut persona producta non sit ex nihilo, sed ex substantia producentis. Nec sequitur alia ratio de compositione, quia substantia illa, ex qua dicitur esse talis processio, non se habet, ut potentia, nec ut pars naturæ, sed ut purissimus actus, qui est tota natura, & essentia rei productæ, in re ipsa non distincta à personali ejo proprietate.

§. 322. Ex ὁμοουσία fluit 1. περιχώρησις personarum in Deitate essentialis, quam Theologi Scholastici *circumincessionem*; alii *inexistentiam* vocant, & de quâ eleganter Augustinus *l.* VI. *de Trin. c ult.* inquit: *Singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.* Et Fulgentius *de fide ad Pet. c. I. Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto, totus Filius in Patre & Sp. S. est, & totus Sp. S. in Patre & Filio.* Fundat hanc

περιχώρησιν Fides *Ioh.* X, 38. XI, 18. XIV, 10. XVII, 21 Si quæras de modo hujus immanentiæ, (qui quidem nobis est incomprehensibilis) non unam reperies in Scholis sententiam. Thomas *p.* I. *qu.* XLI, *art.* 5. vult personas divinas esse in se invicem, *tùm* secundum suam essentiam, quia essentia patris est in filio, & econverso, filii in patre: *tùm* secundum relationem, quia unum relativum est in alio, juxtà intellectum: *tùm* secundum originem, quia filius & Sp. S à patre producuntur per actum immanentem: jam de ratione talis actus est, ut productum ratione productionis maneat in producente. Quam rationem etiam indicat Damascen: *lib.* I. *de O. F. c.* 9. ubi comparat hanc productionem emanationi lucis ab igne, quia *lux*, inquit, *ab igne gignitur, & ab eo non separatur, sed semper in eo est.* Sed quod *primum* modum attinet, sanè, sola essentia divina non potest esse ratio inexistentiæ unius personæ in aliâ: sequeretur enim, Patrem per περιχώρησιν esse in seipso, quia habet essentiam, cùm tamen hæc περιχώρησις exposcat distinctionem realem inter personam existentem, & eam, in qua inexistit. Quoad *secundum* & *tertium* modum, nec sola relatio originis potest esse ratio inexistentiæ personæ in persona: quia relationes originis non sunt ejusdem rationis in relatis, atq; adeò personæ non erunt in se invicem uni-

uniformiter. Nos antequàm hîc aliquid dicamus, supponimus, circuminsessionem esse alicujus subsistentis in subsistente realiter distincto, mutuam & intimam præsentialitatem in eâdem numero natura. Atq; adeò ad circuminsessionem requiri (1) identitatem naturæ numericam (2) subsistentiam cujuslibet (3) realem subsistentium distinctionem (4) mutuam & intimam præsentiam. Quibus suppositis, dico, præcisam & adæquatam causam inexistentiæ unius personæ in alia esse unitatem s. identitatem naturæ cum relatione. Patet 1. quia hic modus inessendi est subsistentis in subsistente: sed essentia & relatio constituunt rem subsistentem. 2. Quia hæc inexistentia mutua nihil aliud est, quam intima quædam præsentia divinarum personarum inter se: hanc v. habent non solum in essentia, (aliàs rectiùs dicerem, tres personas esse unam naturam, quàm unam personam esse in aliâ) sed in propriis etiam relationibus. Et hoc est, quod Hilarius *l.* VII. *de Trin.* inquit, *Personas divinas esse in sese per unitatem, & proprietatem naturæ. Dices* 1. E. inter personas divinas est confusio. 2. E. in Patre est filiatio, ac, per consequens, Pater est filius, quia forma denominat id, in quo est. 3. Quod exit ab alio, non est in eo. Sed Filius &c. E. &c. *Resp.* ad 1. inexistentia subsistentis in subsistēte non præcisè infert confusio-

fusionem. Rectè monet Damascenus *l.* I. *de O. F. cap. 19.* περιχώρησιν hanc intelligendam esse sine contractione, commixtione & confusione. Ad 2. concedo, filiationem esse in Patre, eo modo essendi in, quo filius est in Patre, *h. e.* per intimam præsentiam. Indè autem non sequitur; E. Pater est filius. Nam ab esse, in, per intimam inexistentiam, ad esse, in, per modum formæ, non rectè arguitur. Ad 3. exitus filii à patre est processio producti à producente: hæc autem processio est immanens.

§. 323. II. *Unitas.* Undè tres personæ verè ac propriè dicuntur *unus DEUS.* Non defuerunt, qui hanc propositionem (*tres personæ sunt unus DEUS,*) reipsâ pro impropriâ habuerunt, quamvis ad vitandas hæreses eâ uti concesserunt. Vide Marsilium *in* I. *qu.* V. *art. 3. ad* 4. & Petrum de Aliaco *in* I. *qv.* III. Sed propriam esse (1) demonstrat Fides *Deut.* VI, 4. XXXII. 39. I. *Cor.* VIII, 4. ex quibus locis sic colligo: Verus Deus est unus numero Deus. Pater, Filius & Sp. S. &c. E. &c. (2) declarat ratio, *tùm*, quia unitas DEI est in se omninò vera ac propria: *tùm*, quia aliàs negativa propositio esset magis propria, nam inter contradictoria non est medium, ac proinde, erunt multi dii. (3) Confirmant Patres. Sic enim Ambrosius *l.* I. *de Fid. c. 2. Pater & Filius unum sunt, non confusione personæ, sed unitate naturæ.*

Ful-

Fulgentius *l. de Fid. ad Petr. c.* I. *Unum rectè credimus, & dicimus Deum, quia una prorsus æternitas, una immensitas, & una naturaliter est trium personarum divinitas. Dices* 1. Deus est habens Deitatem: sed in Trin. sunt tres habentes Deitatem. E: tres Dii. 2. Verus & unus Deus est pater Christi. Tres personæ non sunt pater Christi. E. 3. Pater est ingenitus, Filius est genitus. E. unus Deus simul est genitus & ingenitus, quod implicat. 4. Esse genitum & ingenitum sunt substantiæ, quia in Deo nullum accidens. Jam Pater & Filius differunt secundum esse genitum & ingenitum. E. substantialiter. *Resp.* ad 1. concedo in Trin. esse tres habentes Deitatem *adjectivè* (nam in omnibus tribus est eadem numero Deitas,) non autem tres Deos *substantivè*. Ad 2. est quaternio in argumento, quæ oritur ex variatione suppositionis. Nam in *Maj.* Vox *DEUS* ponitur *particulariter* & *distinctè*, prout determinat personam patris: in *concluſ.* sumitur *universaliter confusè*, pro Deitate, quæ communis est tribus personis. Ad 3. Hæ duæ propositiones, *Deus est ingenitus*, & *Deus est genitus*, non sunt contradictoriæ, *tùm*, quia ambæ sunt affirmativæ, *tùm*, quia subjectum non sumitur eodem modo in utrâq;. Nam in *illâ* nomen Dei restringitur ad personam patris; in *hâc* ad personam filii. Utrumq; prædicatum non convenit Deo, qvà Deus, sed

qva

qvatenꝰ talis persona est. Ad 4. Processio, qvam negat ingenitum, & dicit genitum, non est accidens, sed substantia: nec tamen est substantia absoluta, sed relativa. Concedimus g. patrem à filio differre substantialiter relativè, non absolutè: qvamvis in rigore ab hâc phrasi abstinendum.

§. 324. III. *Identitas.* Identitatem autem intelligo 1. *essentialem*, qvâ omnes tres personæ habent eandem numero essentiam 2. *attributalem*, qvâ habent eadem numero attributa essentialia. *Dices* 1. Pater est omninò improductus: non sic F. & Sp. S. 2. Pater est æternus, non solùm, qvatenus æternitas dicit durationem sine principio vel mutatione, sed etiam, qvatenus dicit necessitatem essendi: non sic F. & Sp. S. 3. Filius dicitur Sapientia & veritas; Sp S. amor &c. non sic Pater. 4 Pater habet potentiam generandi, non item Filius: Filius habet potentiam spirandi: non a. Sp. S. *Resp.* ad 1. α esse improductum, sicut competit Deo, in qvantum Deus est, ita omninò omnibus personis convenit. *Dices;* Filius & Sp S. habent esse productum. *Resp.* N. aliud est, habere esse *productum*: aliud; habere esse per *productionem*. Divinitas ipsa non producitur, communicatur tamen personæ per productionem. β esse personam improductam, non est essentiale, sed personale Dei attributum:

nec

nec convenit Patri, ex vi solius deitatis, sed ratione proprietatis personalis. Ad 2 Æternitas trium personarum eadem est, & ejusdem rationis in omnibus personis, qvia convenit illis ratione ejusdem esse, per essentiam in omnibus existentis, & cum æquali necessitate. Nam licet Pater sit à se, & filius à Patre, tàm necessariò habet illud esse filius, sicut Pater, & Pater ipse tàm necessariò generat, sicut est. Ad 3. Fit ejusmodi accommodatio propter majorem qvandam affinitatem ad proprietates personales hujus vel illius personæ. Ad 4. (1) potentia productiva ad intra non pertinet ad omnipotentiam DEI, qvia non versatur circà ens factibile. Omnipotentia est potentia faciendi: potentia a. generativa vel spirativa est potentia communicandi idem esse increatum, qvod non est facere, sed producere (2) potentia generandi est in filio, quoad esse absolutum, seu, qvantum ad id, qvod habet rationem potentiæ: non a. prout connotat relationem paternitatis, quæ est conditio necessaria, ut talis potentia exeat in actum. Videatur Swaretz *l.c.*

§. 325. IV. *Æqualitas.* Hîc supponimus (1) æqvalitatem fundari in quantitate: in Deo autem non esse qvantitatem molis, sed perfectionis. (2) ad æqualitatem tria reqviri 1. distinctionem inter ea, quæ debent dici æqvalia 2 qvanti-

ta-

titatem ejusdem rationis, s. propriam, s. metaphoricam 3. quantitatis paritatem, ut in uno non sit major, quam in altero. His suppositis dico: in divinis est perfectissima æqualitas inter divinas personas in essentia & attributis, & in omnibus, secundum quæ ibi attenditur æqualitas. Conclusio est de fide *Joh.* V, 19. Hinc Athanasius in Symbolo: *Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Præterea, eadem numero magnitudo essentiæ est in tribus personis sic, quod in ea nulla alteram excedit, nec ab alia exceditur: ergò necessariò inter eas est æqualitas. Patet consequentia: quia ad æqualitatem sufficit extremorum realis distinctio, & communicatio in eâdem magnitudine. Ex hoc puncto damnamus illam Grynæi & Sohnii locutionem, quâ Filium dicunt esse *patre inferiorem.* Nec ità commodè à quibusdam Pater κατ' ἐξοχὴν Deus dicitur.

§. 326. V. *Similitudo.* Evitârunt has voces sancti Patres tempore Concilii Niceni, & durante Arianorum errore, quæ solam similitudinem inter personas divinas significare videbantur, qualis erat vox ὁμοιούσιος, *i. e.* similis essentiæ, quia hæretici eâ abutebantur ad negandam consubstantialitatem inter Patrem & Filium, prout videre est in Epiphanio *hæres.* LXXIII. & Theodoreto *l.* II. *Hist. cap. 6.* Et certum est, vocem *similitudinis* ex vi suæ significationis non requirere unitatem realem in forma, sed

sed conformitatem; nec præcisè postulare conformitatem in gradu perfectionis, cùm duæ albedines dicantur similes, etiamsi non sint æquè intensæ. In sensu tamen orthodoxo possumus usurpare hanc phrasin, ut dicamus, unam divinitatis personam alteri esse similem, inprimis cùm videamus etiam Epistolam ad *Hebr. c. I.* adhibuisse nomen *imaginis*: nulla autem est imago absq; similitudine. Adstipulatur Augustinus *l. VII. de Trin. c. ult.* Et ratio est, quia, licet similitudo præcisè non requirat æqualitatem, tn. eam non excludit. Exsulet hìc omnis imperfectio.

§. 327. Ὁμοουσίαν excipit discrimen personarum. In hoc explicando geminus scopulus est vitandus: Sabellii; qui negans pluralitatem Personarum, solam in ipsis nominum & rationum differentiam ponebat: & Arrii; qui Διαίρεσιν introducebat substantiæ, & tres, juxtà personarum numerum, ab invicem separatas essentias inferebat. Undè Augustinus *Serm. XXIX. de tempore: Ita fidelium cordibus disponendus est Dei cultus, ut non admittatur vel in unitate separatio contrà Arrium: vel in Trinitate permixtio contrà Sabellium.* Dicimus ergò 1. discrimen personarum non est *rationis.* Damascenus *l. I. de O. F. c. 11.* dicit personas Trinitatis non differre τῷ πράγματι, reipsâ, sed τῇ ἐννοίᾳ. Verùm reipsâ differre & essentiâ differre Damasceno tantundem significant,

quod patet, *tùm* ex ratione, quam addit suæ negationi, quod nempè propterea personæ non differãt reipsâ, quia summa sit inter eas ταυτότης essentiæ, potentiæ, voluntatis, consilii, virtutis: quinimò una sit essentia, una potentia, una virtus: *tùm*, ex declaratione suæ assertionis, quando ipsi τῇ ὑπονοίᾳ differre idem est, ac per alium atq; alium subsistendi modum differre. Hodiè, ne quis cum Noetianis, (de quibus Epiphanius *hæres. LVII. Tom. I. lib. II.*) ὀνομαλικὴν saltem differentiam constituisse videatur, ab hâc locutione abstinemus. II. Non est *modale*. Keckermannus voluit, personas distingvi modaliter. Abusus autem est Justino Martyre, qui personas Deitatis dixit τρόπῳ ὑπάρξεως differre. Sed aliud est, esse τρόπον, aliud; differre τρόπῳ. Præterea, metonymice locutus est Justinus Martyr, non qs. personæ sint ipsi τρόποι ὑπάρξεως, sed iis subsistendi modis constituantur. Undè Cyrillus dixit: Persona τριῶν ἑνῶν συνδεσμῇ, trium concursu constat, essentiæ, personalium relationum & ipsorum idiomatum. III. Discrimen personarum non est *essentiale*, nec *accidentale*. Non *illud*; quia una est trium personarum essentia: non *hoc*; quia Deus est purissimus actus, nullius accidentis capax IV. Discrimen personarum est *reale*, & fit secundum originem unius personæ

næ ab alia. Probat Fides, non quidem formaliter, attamen materialiter, quando dicit, esse tres I. Joh. V, 7. inprimis voce *alius* Joh. XIV, 16. Nam una res omninò indistincta non est alia à seipsa. Et verbo *procedendi* Joh. XV, 26. nam producens & productus realiter distinguuntur. Adde; unaquæq; persona divina in se spectata est vera res per se subsistens, & una non est alia, ergò est distinctio realis inter ipsas, nam realiter distingui, nihil aliud est, quàm esse veras res qvarum una non est alia. Et hoc ipsum probat substantialis productio: hæc namq; non est, nisi inter res realiter distinctas.

§. 328. Ex distinctione resultat *ordo* & *numerus*. Quæritur ergò I. *an inter personas Trin. sit ordo naturæ, item prius & posterius?* Supponimus hîc (1) prioritatem (& proportionaliter posteriorita-tem) esse multiplicem. α *perfectionis*: sic in unoquoq; genere; quod est perfectissimum, est primum. β *generationis*: sic partes sunt priores toto, radices trunco, truncus floribus, flores fructu. γ *durationis* v. g. æternitatis, ævi, temporis, δ *naturæ*: estq; vel *essentialis dependentiæ* v.g. inter causam & effectum; vel *essentialis eminentiæ* & perfectionis v. g. inter hominem & equum: vel *inter naturam & ejus perfectiones*, quæ cum ipsa identificantur v. g. inter intellectum & essentiam, cujus est, ε. *originis*, quæ est originantis ad

originatum (2) Ordinem non intrinsecè & essentialiter includere prioritatem & posteritatem secundum exigentiam suæ naturæ, sed sepè dicere nudam χέσιν & habitudinem inter extrema, maximè in divinis. (3) solam prioritatem temporis & durationis esse simpliciter prioritatem: reliquas nonnisi cum addito. His præsuppositis dico 1. In divinis non est prioritas perfectionis, nec generationis, quia ibi nihil est imperfectum. 2. In divinis non est prioritas durationis, quia omnes tres personæ mensurantur quoad existentiam æternitate. 3. In divinis non est ordo naturæ essentialis dependentiæ, quia dependentia exigit alietatem naturæ, & non est, nisi causati ad causam, vel causati posterioris ad causatum primum: in Deitate v. non est aliud atque aliud, nec causale & causa. 4. In divinis non est ordo naturæ essentialis eminentiæ: quia in hoc ordine necessariò datur excedens & excessum; in divinis v. nihil potest excedi, quia aliàs formaliter finiretur, quod repugnat. 5. In divinis datur ordo originis, tùm in habendo esse, tùm in modo causandi esse in creaturis. Pater enim habet esse à se, & agit à se, quia virtutem operandi à se habet: filius v. habet esse ab alio & agit ab alio, quia virtutem activam à patre recipit: & proportionaliter, Filius respectu Sp. S. habet sic esse, ac si à nullo alio recepisset. 6. Hic ordo

ordo originis juxtà Thomam vocatur ordo naturæ, s. (rectiùs,) naturalis originis, quia non est liber, sed naturalis & suo modo necessarius. 7. Hoc modo explicatus ordo originis infert prioritatem originis: quia tamen reverâ originatio in divinis fit sine omni prioritate, & Athanasius expressè in Symbolo inquit: *in hâc Trinitate nihil prius aut posterius:* dicimus, 8. unam personam ex naturâ rei non esse priorem origine aliâ, quia illa prioritas esset, *vel* quoad absolutum esse, *vel* quoad relativum. Non *illud;* omne enim absolutum est planè idem numero in tribus personis. Nec *hoc;* quia correlativa sunt simul. 9. Pater tamen, ut Pater, & Filius ut filius sunt priores Spiritu Sancto nostro intelligendi modo, cum fundamento in re.

§. 329. Quæritur II. *An statuendus numerus in Trinitate?* Rectè notat Biel *I. sent. dist. XXIV. q. 2.* numerum sumi *vel strictè*, prout requirit has tres conditiones (1) ut sit multitudo quædam uno mensurata (2) ut sit quâlibet suâ parte major; (3) ut unitates inter se sint essentialiter distinctæ: atq; sic in divinis non est numerus, quia ibi nec est essentialis distinctio, nec compositio: *vel latè*, pro quâlibet pluralitate rerum, s. eæ essentialiter distinctæ sint, s. non. Si loquamur de numero transcendentali, qui ultrà unitates nihil addit, nisi negationem, quod una non sit alia, & simul hanc excellentiam huic numero tribuamus, quod non excludat iden-

titatem rerum numeratarum, nihil prohibet, quò minùs in divinitate numerum ponamus. Hoc modo Concilium Toletanum de Deo dicit, quod *nec recedat à numero, nec comprehendatur numero.* Et Bernhardus *l. V. de conſ. Habes*, inquit, *quod numeres, & quod non numeres, ſubſtantia una eſt, perſonæ tres ſunt.*

§. 330. Diſcrimen perſonarum Deitatis ſumitur à *proprietatibus.*

§. 331. Proprietates perſonales ſunt *vel* internæ, *vel* externæ.

§. 332. *Internæ* ſunt tres: Patris proprietas eſt *generatio*; Filii *nativitas*; Spiritus S. *proceſſio.* Hæ proprietates perſonarum *συμβεβηκὸς*, non magis communicari poſſunt aliis perſonis, quàm una perſona poteſt fieri alia. Vulgò: *Opera Trinitatis ad intrà ſunt diviſa* ſ. propria, h. e. non ſunt communia tribus perſonis. Ideoq; hi actus interni non ſunt deliberantis voluntatis, ſed neceſſitatis.

§. 333. *Externæ* proprietates perſonales ſunt opera & officia ergà creaturas, præſertim ergà homines, & maximè, ergà eccleſiam. Hæ quoad ſummum principium ſunt indiviſæ & communes; quoad terminum v. proximum ſunt diviſæ ac propriæ. Ideoq; nec merè eſſentiales ſunt, nec merè perſonales, ſed medii generis: Etſi enim communis eſt omnium perſonarum in talibus operatio, tamen, ſi conſideretur ordo agendi & terminus ulti-

ultimus, intelligitur una persona agere immediatè, alia mediatè, quia termino principalis, per quem effectus promanat foràs, est persona; licet principium actûs sit virtus divina communiter se habens ad omnes tres personas.

CAPUT XX.
DE
Processionibus.

§. 335. Personæ multiplicantur per processiones. *Processio* a. nihil aliud *est*, quàm *emanatio unius personæ ab alia.* Talis realis processio ad intrà necessariò est ponenda in Deo, ut personæ multiplicentur. Conclusio est de Fide. Nam Scriptura expressè processionis meminit *Joh. VIII, 42. XV, 26.* Nec rationes desunt: Nam in Deo sunt plures personæ, & non est nisi una improducta, ergò necesse est, ut aliæ sint productæ: ergò necessaria est in Deo realis productio ad multiplicationem personarum. *Deindè*, si persona una reverâ est Pater, altera Filius, una gignit, altera gignitur, unam ab alterâ procedere & originem trahere necesse est, cùm Filium alicujus esse, nihil aliud sit, quam ab eo procedere, s. produci. *Dices*; primum principium non potest ab alio procedere. Deus &c. E. &c. *Resp.* ad Maj. QQ. est primum principium tàm ad intrà, quàm ad extrà. Sic limitatâ Maj. nego Minorem, si vox Deus supponat indeterminatè pro

essentia divina, ut est in omnibus tribus personis. Nam Filius & Sp. S. non sunt principium primum ad intrà, (quia sunt de principio;) sed tantùm ad extrà, respectu creaturarum.

§ 336. Processiones in DEO reales saltèm *duæ* sunt. Assertio est Fidei, quia Scriptura tantùm duarum processionum meminit, *ll. cc.* nempè Filii à Patre; Spiritus S. v. à Patre & Filio. Rationem hanc addunt Thomas *l.c.* Alensis *I.p.q. XLVII, m.7.* Bonaventura *in I. dist. II, q. 4.* Gabriel *dist. X, qv. 1.* quia hæ processiones sunt per actus proprios intellectualis naturæ: in natura autem intellectuali non sunt, nisi duæ facultates, & duo genera actuum immanentium, sc. intellectus, & voluntatis. E. neqi in Deo possunt esse plures processiones, quàm duæ. Quæ ratio constabit ex dicendis. Quamvis autem modum processionum divinarum penetrare non possimus, liceat tamen ad meliorem intelligentiam Theol. Schol. ex Doctoribus Scholasticis quædam hìc attigisse.

§. 337. Formale & immediatum principium harum processionum non est natura, ut natura. Durandus *in I. dist. VI, q. 2.* opinatus est, processiones esse immediatè per naturam, sic ut prima Trinitatis persona à se in suo esse divino & personali constituta, producat personam secundam formaliter, quatenus est ens infinitum, habens naturam infinitè foecundam. Pro intelligentia quæstionis, supponimus

nimus (1) naturam divinam ejusque proprietates (intellectum & voluntatem,) non distingui actu in re, sed saltem ratione, cum fundamento tamen in re, sic, ut nos juxtà nostrum concipiendi modum intelligamus aliquid convenire naturæ divinæ, præcisè, sub ratione naturæ, aliquid sub ratione proprietatis, naturâ tamen non nisi formaliter exclusâ: sicut rectè dico, Deum per justitiam punire, & per misericordiam parcere. (2) principium productivum aliud esse *quod*, aliud *quo*. *Illud* est, quod agit, s. suppositum, cui propriè tribuitur actio: *hoc* est, quo, s. per quod fit actio, & cui propriè non tribuitur actio tanquàm agenti, sed tanquam rationi agendi. Sic in naturalibus, suppositum est, quod generat, forma v. est ratio generandi. *v. g.* Ignis generat ignem, ut principium quod; forma v. substantialis ignis generantis est principium quo. Sic in divinis Pater est principium quod filii, de principio quo hic quæritur, *an sit natura, ut natura*? His suppositis, dicimus: *Principium quo processionum divinarum non est natura, ut natura.* Patet; quia alias productiones divinæ non essent per modum actuum vitalium, sed naturalium; non immanentium, sed transeuntium: ac per consequens, filius non esset filius, quia non quæcunq; res genita, sed illa, quæ procedit per vitalem generationem, Filius appellatur. *Præterea*, si processionum immediatum principium est na-

tura ut natura, nulla dari potest causa, cur processio filii sit generatio, & non processio Spiritus S: nam utraq; processio fit per naturam. *Dices*; ex infinitate divinæ essentiæ provenit, quod sit communicabilis tribus personis, & processio pro fundamento habet fœcunditatem naturæ divinæ. E. est immediatum principium. *Resp.* Nulla est sequela in ratione. Nam divinæ personæ etiam possunt dici esse ex fœcunditate naturæ, non quia ipsa natura ut sic sit proxima ratio talium processionum, sed quia ex infinitate ejus provenit radicalis fœcunditas & communicabilitas necessaria ad illas productiones.

§. 338. *Principium quo* processionum divinarum est *intellectus* & *voluntas*, non tamen *in actu intelligendi & volendi*, ut vult Thomas; sed per *actum dicendi & spirandi*, ut docet Scotus. Circà *prius* membrum conveniunt, præter Durandum, Theologi Scholastici plerique omnes. Thomas *I. p. q. 27.* Alensis *I. p. qv. 42. m. 2.* Bonaventura *in I. dist. X.* Gabriel *dist. VII, qv. 7.* Scotus *in I. dist. II. qv. 7.* Et probatur ex Fide. Nam quod Filius Dei per intellectum producatur, probat Scriptura in illis locis, in quibus Filius Dei vocatur verbum *Genes I, 2. Ps. XXXIII, 6. CVII, 20. Ioh. I, 1. I. Ioh. I, 1. 3. V, 7. Apoc. XIX, 13.* Jam de ratione verbi mentalis est, quod procedat per dictionem & locutionem mentalem: Deus autem non loquitur immediatè per essen-

essentiam, sed per intellectum: ergò principium immediatum, quo producitur filius DEI, non est natura, sed intellectus: Et, sicut nos, intelligendo rem aliquam, producimus Verbum mentis, *h. e.* efformamus vitalem imaginem illius rei, quam intelligimus: sic Deus Pater intelligendo seipsum, producit verbum, s. vitalem imaginem sui ipsius *Col. I, 15.* Nec est quod Revius *l. c. Diss.* XXX. *sect.* XIII. *n.* 4. vult, vocem λόγος hic debere tropicè sumi: Dicit enim hoc, & non probat. A proprietate vocum non est discedendum, nisi Fides jubeat. Quod autem Spiritus S. per voluntatem producatur, patet, quia est amor & charitas Patris ac Filii *Rom. V, 5. Gal. V, 6.* Amor autem ad voluntatem pertinet. Et sicut nos, amando rem aliquam, producimus vitalem propensionem in rem amatam: ita Pater & Filius amando suam essentiam producunt Spiritum S. qui est qs. vitalis inclinatio in rem amatam. *Posterius* membrum claret ex proprietate ipsius Verbi: nihil enim aliud est Verbum, quàm intrinsecus terminus locutionis. Et de Verbo vocali manifestum est, produci per actionem dicendi vocaliter: in mente quoq; tunc Verbum efformamus, quando interiùs loquimur: eâdem proportione intelligendum est verbum divinum, ejusq; productio. Distinguendi ergò hic sunt *actus essentiales*, qui sunt, *intelligere & velle*, à *notionalibus*, qui sunt, *dicere & spirare*. Non *illi*; sed *hi* sunt

activæ

activæ productiones personarum: hi tamen illos includunt, & relationem addunt personæ producentis ad productam. *Dices* 1. Si filius intelligendo, & Spiritus S. volendo producitur. E. intelligere soli Patri; velle soli patri & filio competet: cùm tamen intelligere & velle non sint actus personales, sed essentiales. 2. E. processiones divinæ non different realiter, cùm intellectus & voluntas in Deo identificentur. *Resp.* ad 1. *aliud* est intelligere & velle; *aliud* intelligendo & volendo producere, s. dicere & spirare. *Illi* actus sunt essentiales; *hi* notionales. Ad 2. N. conseq. Processiones divinæ non propterea differunt realiter, quod una est per intellectum, altera per voluntatem, sed quod sibi realiter sunt oppositæ, &, quod una fit dicendo, altera spirando; sicut ergò generatio activa & passiva realiter differunt ex reali oppositione, licet utraq; fit per intellectum; ita etiam processiones in divinis.

§. 339. Processiones divinæ *partim* conveniunt, *partim* discrepant.

§. 340. Conveniunt 1. in eo, quod utraq; est *immanens*, non *transiens*. In creaturis dupliciter unum ab altero procedit (1) *immanenter*, sic ut illud, quod procedit, intrà principium suum, sivè rem, ex quâ emanat, maneat: qualis est processio conceptus ab intellectu (2) *transitivè*, sic ut productum extrà suum principium transeat, qualis est pro-

processio caloris ab igne in aquam. In divinis quoq; duplex est: Creaturæ à Deo procedunt *ad extrà*, quia ab eo accipiunt naturam distinctam à natura divina: Filius & Spir. S. *ad intrà*, quia accipiunt naturam numero eandem, quam habet Pater. 2 in eo, quod neutra admittit, nec admittere potest sui similem, quæ sit ejusdem rationis. Non enim possunt esse in divinis plures generationes, vel spirationes. Probatur hæc conclusio ratione ducente ad impossibile: Si in divinis possunt esse plures ejusdem rationis processiones, ergò & infinitæ, & si infinitæ esse possunt, necessariò sunt actu infinitæ, quia in divinis idem est esse & posse, sed esse infinitas generationes actu est prorsus impossibile. Vel alio modo; Quicquid est plurificabile in plura ejusdem rationis, quantum est de se, non determinatur ad certam pluralitatem, sed potest in infinitum plurificari. (sicut patet comparando commune ad singularia, causam ad causata,). Sed productio in divinis juxtà te &c. E. &c.

§. 341. Differunt processiones in divinis, *tùm* Principiativè sivè per ordinem originis, *tùm* formaliter.

§. 342. *Principiativè* differunt duplici modo (1) Per respectum ad principium *quod*; quia Filius procedit à solo Patre: Spiritus S. à Patre & Filio simul. (2) per respectum ad principium *quo*, quia filius procedit per actum dicendi; Spiritus S. per actum spirandi. §. 343.

§. 343. *Formaliter* differunt *seipsis*, quia processio Filii est proprie generatio, non item Spiritus S. Prius probatur ex Scriptura, quæ productionem filii nominat generationem *Psalm II,7. Es. LIII,8.* & confirmatur, quia generatio proprie dicta est processio viventis à vivente, (tanquam à principio productivo) juxtà similitudinem naturæ ex vi processionis. Quæ descriptio competit processioni Filii *Ioh. V, 26. Heb. I, 3.* Posterius itidem probat Scriptura in illis locis, in quibus Filium vocat unigenitum *Ioh. I, 18. III, 16.* Hinc expresse Symbolum Apostolicum: *Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum.* Symbolum Athanasianum: *Spiritus S. à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Confessio Chalcedonensis: *Unum & eundem Jesum Christum, Dominum unigenitum.* *Dices* 1. etiam Salomon vocatur unigenitus, qui tamen fratrem habuit uterinum *Prov. IV, 3.* 2. etiam Christus dicitur primogenitus *Rom. VIII, 29.* *Resp.* ad 1. (α) Salomon se non vocat unigenitum, sed *unicum*; idq; non propriè, sed metaphoricè, *h. e.* unicè dilectum, sicut vox exegetica in fonte svadet יחיד רך & LXX. reddunt: ἀγαπώμενος ἐνώπιον μητρὸς (β) si tamen vis proprie accipere, dic Salomonem fuisse unigenitum ex legitimo conjugio. Ad 2. Primogenitus dicitur *vel* per negationem alicujus prius geniti, nullo habito respectu ad secundò genitum:

nitum; *vel* per comparationem ad secundò genitum. Priori modo Christus dicitur primogenitus, quà Deus: quà homo autem non excludit alios fratres, saltem non propriè, sed metaphoricè dictos. *Dices* amplius; terminus formalis productionis Spiritus S. idem est cum formali termino generationis filii, nempè esse divinum. E. productio Spir. S. est generatio. *Resp.* non semper productiones distinguuntur ex terminis, sic quod ex distinctione vel identitate terminorum liceat inferre distinctionem vel identitatem productionum, sicut eleganter probat & exemplis demonstrat Scotus in I. *dist.* II. *qu.* VII, *lit. T.*

CAPUT XXI.

De *Relationibus.*

§. 344. EX processionibus resultant *relationes*: nam sicut filius non est pater, quia gignitur à patre, & pater non est filius, quia generat filium, & pater ac filius non sunt Sp. S, quia spirant s. producunt Spiritum S. nec Spiritus S est Pater & filius, quia à Patre & Filio spiratur, s. procedit; sic illa ipsa distinctio personarum in eo sita est, quod Pater sit Pater, & non Filius aut Spiritus S. Filius sit Filius, & non Pater aut Spiritus S. & Spiritus S. sit procedens à Patre & Filio, non v. ipse Pater aut Filius. Priora horum productionem, posteriora rela-

relationem dicunt. Hic autem inprimis recolo, quod etiam suprà notatum est, relationes quasdam Deo competere *ad extrà*, quibus ipse refertur ad creaturas: quasdam *ad intrà*, quibus intrà essentiam divinam una persona refertur ad alteram, vel duæ ad tertiam. Priores *aliæ* fundantur super actionibus Dei transeuntibus, & ex tempore ei tribuuntur *v. g.* relatio creatoris, redemtoris &c. *aliæ* super actionibus immanentibus, & ab æterno ipsi conveniunt, *v.g.* relatio prædestinantis, reprobantis &c. Posteriorum *quædam* versantur circà certas essentiæ divinæ personas, ut, paternitas, filiatio, spiratio activa & spiratio passiva: *quædam* omnibus personis communes sunt, ut essentiæ identitas &c. De postremis nobis sermo est. Ejusmodi relationes in divinis esse, expressè equidem & formaliter nusquam dicit sacer codex, materialiter tamen, quatenus personas appellat nominibus relativis, qualia sunt Patris & Filii: Huc spectat, quod Augustinus dicit *l. V. de Trin. c. 8. Solam substantiam & relationem propriè in Deo inveniri* & *l. XV, c. 3. quod de Deo dicitur, non secundùm substantiam, relativè dici.*

§. 345. Ceterùm, cùm relatio dicat respectum unius ad alterum, adeoq; distinctos terminos requirat, inter quos versetur, hi autem interdum reipsâ distincti sint, interdùm ratione tantùm distinguantur, fit ut relationes *aliæ* sint reales, *aliæ* rationales

nales tantùm. Relatio *realis* est, quæ inter veras res, & quatenus eæ reipsâ distinctæ sunt, intervenit; *rationalis*, quæ vel non est verarum rerum, vel certè iis non convenit quatenus realiter, sed saltem nostro concipiendi modo distinguuntur. Quæritur; *quid de relationibus divinis ad intrà sentiendum?* Dico I. relationes, quæ sunt communes omnibus tribus personis, non sunt reales, non quod non sint reale quid in Deo, sed quod personis divinis non competant ut realiter distinctis, verùm ut habent idem numero esse. II. Relationes, quæ versantur circà certas Deitatis personas, sunt reales. Probatur (1) quæcunq; relationes personas divinas faciunt realiter differre, illæ sunt reales. Atqui relationes dictæ &c. E. &c. *Major* patet, quia relationes rationis distinctionem realem efficere nequeũt. *Minor* ita ostenditur: Pater distinguitur à Filio, per id, quod est Pater, & Filius à Patre, per id, quod est Filius, uterq; à Spiritu S. quatenus est spirator ejus, & ab utroq; Spiritus S. quatenus ab utroq; procedit. E. differunt omnes tres personæ ab invicem per paternitatem, filiationem, spirationem activam & passivam. (2) ubi nihil deest eorum, quæ ad relationem realem necessaria sunt, ibi est relatio realis. Atqui in divinis &c. E. &c. *Major* suo jubare radiat. *Minor* claret, quia in divinis est (a) realis distinctio ex-

tremorum, ſ perſonarum (β) realis proceſſio unius perſonæ ab aliâ, quæ ſolet eſſe ſufficiens indicium relationis realis (γ) fundamentum reale, quod eſt divina eſſentia.

§. 346. Ex eo, quod diximus relationes reales ad intrà in Deitate non dari, præter eas, quas vocant relationes originis, fluit, relationes reales divinas non poſſe eſſe vel plures, vel pauciores, quàm *quatuor*, nempè *Paternitatem*, *Filiationem*, *Spirationem activam* & *paſſivam*. Non *plures*; quia duæ ſaltèm ſunt origines ſ. proceſſiones intrà Deum, ergò relationes ad ſummum quatuor. Nam ex unaquaq; proceſſione non conſurgunt niſi duæ relationes, quia una proceſſio tantùm habet unum principium, & unum terminum. Atq; ita in proceſſione quæ fit dicendo, ſunt relationes generantis & geniti: in proceſſione quæ fit ſpirando, ſunt relationes producentis ſ. ſpirantis, & procedentis ſ. ſpirati. Non *pauciores*; nam ſublatâ earum una, Trinitas perſonarum tollitur.

§. 347. Relationes hæ *conveniunt* partim, partim *diſcrepant*.

§. 348. Conveniunt, *tùm*, quod omnes quatuor habent eſſe reale, terminum realem, & reipsâ diſtinctum, habitudinem realem ad illum terminum, & perfectionem relativam: *tùm*, quod omnes ſunt, non accidentia, ſed ſubſtantiæ.

§. 349.

§. 349 Discrepant (1) quod paternitas, filiatio & spiratio passiva sunt relationes *personales*; spiratio activa est relatio *non-personalis*: ac proindè (2) sola spiratio activa est communicabilis pluribus personis; reliquæ non. *Illud* patet; quia spiratio activa est in patre & filio, per simplicem identitatem cum utroq;, nec opponitur vel immediatè, vel mediatè omnibus relationibus personalibus, sed uni tantùm, sc. processioni: & ideò manet communicabilis aliis duabus. *Hoc* constat; quia alias non possent esse personales, vel constitutivæ personarum: nam ad esse personæ pertinet incommunicabilitas. (3) relationes personales per se & ex propriis conceptibus subsistentes sunt; spiratio activa non, sed per identitatem habet subsistentiam à personis, quibus inest, nostro intelligendi modo. Plura de hâc materiâ vide in Swarefio *de SS. Trin. lib. V. cap. 9. p. tot.*

§. 350 Cæterùm accuratiùs paulò considerandum est, quomodo relationes hæ distinguantur, *tùm* à se invicem, *tùm* ab essentia divina, *tùm* à personis, quas referunt.

§. 351. Circà *Primum*, dico I. tres relationes personales differunt *realiter*, quod ex eò patet, quia constituunt tres personas realiter distinctas, & inter eas talem faciunt oppositionem, vi cujus una persona non sit nec possit esse altera.

Imò, unaquæq; persona solùm est suamet relatio subsistens, undè per illam constituitur in suo esse personali, & ab aliis etiam personaliter distinguitur. II. Spiratio activa realiter differt à spiratione passivâ, quia sunt relationes oppositæ secundum realem originem. III. Spiratio activa non differt realiter à paternitate & filiatione, sed saltem virtualiter, aut fundamentaliter. Probatur, *tùm*, quia alias inveheretur quaternitas in Trinitate personarum: *tùm*, quia spiratorem esse, non excludit aut negat ly Patrem aut Filium esse, sed tantùm esse Spiritum S. cùm spirator non illis, sed spirato saltem opponatur. *Dices* 1. Pater & Filius spirant Spiritum S. sed per aliud Pater est Pater, & Filius Filius, per aliud spirator. E. sunt 4. res & relationes distinctæ 2 spiratio activa communicatur Filio non communicatâ paternitate. E. non sunt realiter idem quid. 3. generari & spirari differunt realiter. E. etiam generare & spirare. *Resp.* ad 1. N. antecedens: infert enim compositionem realem in Deum. Pater per idem est Pater & spirat. Ad 2. in divinis idem est reipsâ communicabile, & incommunicabile, quatenus distinguitur virtualiter: essentia divina & paternitas ac filiatio reipsâ identificantur, & tamen essentia communicatur, non communicatâ paternitate, vel filiatione; quod facit virtuale discrimen. Ad 3. Neg. seque-

sequelam. Ut ℞ generari & spirari realiter differant, sufficit, quod generare & spirare, tanquam principium istorum, virtute distincta sint.

§. 352. Quoad *secundum*, Gilbertus Porretanus docuit, relationes ab essentiâ distingui realiter; Scotus formaliter ex naturâ rei; Thomas solâ ratione. Nos dicimus I. Relationes ab essentia in divinis non differunt realiter, ut res à re. Nam α Quicquid realiter distinguitur ab alio, id ei superaddit aliquid reale, adeoq; facit compositionem realem. Atqui relationes divinæ essentiæ non &c. E. &c. β Quicquid infert rerum quaternitatem in Trinitatem, id non est statuendum. Atqui realis distinctio relationum ab essentia in divinis, &c. E. &c. II. Relationes ab essentia in divinis non differunt formaliter ex natura rei, tanquam in re una realitas s. formalitas una ab alia. Fieret enim hoc pacto, ut essentia divina in potentia sit ad relationem, & ab eâ qs. actuetur: item, ut aliquid sit in Deo, quod non sit formaliter ipse Deus: item, ut unaquæq; persona sit composita ex duobus formaliter inter se distinctis ex natura rei. *Dices* 1. essentia est formaliter communicabilis pluribus; relatio non. 2. essentia formaliter dicit aliquid absolutum; relatio non nisi aliquid relatum. 3. per essentiam conveniunt personæ divinæ; per relationem distinguuntur. E. differunt formaliter.

Sed omnia hæc argumenta nihil aliud probant, quàm distingui relationes ab essentia virtute & eminenter, quod nos concedimus. III. Inter essentiam & relationes divinas datur discrimen rationis, non raciocinantis, (quod nudo nostro conceptu constet,) sed raciocinatæ, quod habeat occasionem aut fundamentum in re. Sicut enim attributa divina, sic etiam essentia & relationes differunt virtute, & habent distinctos effectus: misericordia miseretur, justitia punit: paternitas refertur ad filium; essentia ad nihil: essentia communicatur pluribus; paternitas minimè. IV. Licet essentia & relatio divina formaliter identificentur, non tamen relatio præcise spectata est de intrinseca ratione essentiæ, nec essentia concepta ut essentia est de intrinseca ratione relationis. *Prius* probatur (1) quia relatio dicitur ad aliquid; essentia absolutè tantùm (2) relatio generat; essentia non (3) essentia communicatur; relatio non. *Posterius* probatur (α) quia Pater, ut Pater est, differt à Filio; ut essentia, minimè. (β) paternitas, quatenus talis, non infert essentiam; illa est propria; hæc communis.

§. 353. Quà *Tertium*. Dico I. Relationes non distinguuntur actu à personis, nec realiter, nec formaliter, quia persona nihil in se includit, nisi essentiam, & relationem constituentem: jam verò

verò relatio nec realiter, nec formaliter differt ab essentia, ut modò dictum. *Adde*, quod si illa, quæ, nostro concipiendi modo, se habent ut componentia, inter se non distinguuntur, etiam ipsum constitutum non poterit ab illis distingui. Imò, minus potest relatio distingui à persona, quàm ab essentia, quia cum essentia non identificatur adæquatè, s. convertibiliter, cum persona tamen habet identitatem adæquatam, cùm sint æq; incommunicabiles. II. Relationes distinguuntur ratione à personis, quarum relationes sunt quod constat ex Dictis §. præced.

CAPUT XXII.

De *Notionibus*.

§. 354. PErsonas divinas constitui proprietatibus relativis, ex dictis constat. An verò istæ proprietates collocandæ sint in originibus personarum divinarum, s. actibus notionalibus, *h. e.* an Patris persona constituatur per generationem activam, Filii per generationem passivam, Sp. S. per processionem: an v. in relationibus originis, *h.e.* an Patris personam constituat paternitas, Filii filiatio? disputant Scholastici. Prius tenet Bonaventura *I. sent. dist. 26.* Posterius Thomas *p. I. qu. XL, art. 2.* Sed nullâ hîc opus est subtilitate. Nam origines cum relationibus

nibus planè coincidunt, nec distinguuntur, nisi ratione raciocinante, sine fundamento in re, quia intellectus noster eandem rem modò ut relationem, modò ut actionem concipit. Patet, quia relatio & origo de se invicem prædicantur in abstracto: recte enim dico; Generatio est Paternitas; & Paternitas est generatio.

§. 355. Atq; hâc occasione aliquid dicendum est de *notionibus*. Ubi præsupponimus (1) dari in divinis notiones. Hinc Augustinus *l. V. de Trin. c. 6. Alia est notio, quâ intelligitur genitor, alia quâ ingenitus.* Basilius declarat, quid sit notio *Epist. XLIII.* dicens: *Notionem esse cognoscibile signum*; adde; *proprium & discretivum.* Nam sicut in creaturis proprietates individuantes unamquamq; rem, & distinguentes illam ab aliis, dicuntur notiones; sic in divinis proprietates, quæ sunt ita propriæ personarum, ut unamquamq; velut specificent & individuent in ratione talis personæ, dicuntur notiones, fortasis ab hoc quod nobis ad notificandas personas inserviunt. (2) relationem & notionem non differre realiter, sed tantum denominatione extrinsecâ, vel, relatione notionis ad nostram cognitionem. Relatio n. dicitur secundum respectum realem, quem in se habet: notio a. vocatur eadem relatio, quatenus per eam distinctio alicujus personæ notificatur.

§. 356. Scho-

§. 356. Scholastici vulgò 5. notiones tradunt (1) *innascibilitatem*, (2) *generationem activam*, s. *paternitatem*, (3) *filiationem*, (4) *spirationem activam*, (5) *spirationem passivam*. Hunc numerum salvare non possumus, nisi supponamus α dari notionem, quæ non sit relatio *v.g.* innascibilitatem, hæc enim est relationis negatio β dari notionem, quæ non sit proprietas, *v.g.* Spirationem activam γ adeoq; 3. saltem notiones esse proprietates personales, quæ personam constituant in esse personæ, nimirùm, paternitatem, filiationem, & processionem. Si jam dicas spirationem activam non esse notionem, quia est communis pluribus personis, responsum habes numero β *Dices* 1. si innascibilitas est notio Patris. E. inspirabilitas est notio filii 2. non notificat personam Patris. E. non est notio. *Resp.* ad 1. Notiones negativæ non sunt multiplicandæ sine necessitate. Necessitas autem improducibilitatis ad oculum patet. Nam ad duas processiones divinas necessarium est supponi aliquam personam improductam, quæ sit primum principium utriusque processionis: ergò necessaria erat notio, quâ primam personam in ratione primæ, & talis principii agnosceremus. Ad 2. innascibilitas notificat personam Patris, quia non tantùm dicit negationem generationis, sed absolutè negationē omnis productionis ad intrà.

§. 357. Accurate tamen loquendo, nec innascibilitas, nec spiratio activa verè notiones sunt. Non *illa*; cùm enim personæ per origines suas constituantur, per eas etiam cognoscuntur & distinguuntur; innascibilitas v. est negatio originis. Nec *hæc*; quia vera notio uni personæ propria esse debet: spiratio autem est Patri & Filio communis.

§. 358. Sicut in divinis ab essentiâ dicuntur actus essentiales, qui ratione essentiæ Deo competunt, omnibusq; personis communes sunt: sic à notione dicuntur *actus notionales*, qui personas constituunt & distinguunt, ita tamen, ut propriè non sint actiones, sed relationes tantùm, ad modum actionum significatæ. Tales actus sunt *generatio* & *spiratio activa*.

§. 359. Hi actus notionales non sunt *liberi*, nec *voluntarii*, (nisi certo modo,) sed *naturales* & *necessarii*. Ad hujus asserti intelligentiam præsupponimus. (1) Omne principium activum *vel* agere per modum libertatis, s. liberè *h. e.* ex se non determinatè: *vel* per modum naturæ, s. naturaliter, *h. e.* ex se determinatè. (2) libertatem esse multiplicem. Alia est *contradictionis*, quæ est ad actus contradictorios *v. g.* ad velle & non-velle quâ libertate fruitur homo respectu actus *v. g.* comedendi. Alia est *contrarietatis*, quæ versatur inter duos actus contrarios & positivos respectu alicujus

alicujus objecti *v.g.* inter velle & nolle respectu cælibatus &c. (3) necessitatem quoq; esse multiplicem. Quædam est *coactionis* & violentiæ, quâ *v.g.* fur trahitur ad patibulum. Quædam est *immutabilitatis*, quæ excludit posse oppositum succedere ei, quod ineſt: Hâc necessitate vult Deus, quicquid semel voluit. Quædam est necessitas *omnimodæ inevitabilitatis* s. determinationis, quæ non solùm excludit oppositum posse succedere ei, quod ineſt, sed omninò excludit ipsum posse ineſse. Hâc necessitate diligit Deus suam essentiam, quia non solùm oppositus actus non potest succedere actui diligendi ipsam, sed omninò repugnat. (4) aliud esse, *produci naturaliter*, & aliud; produci *per modum naturæ* Illud producitur naturaliter, quod necessariam habitudinem dicit ad suum principium: per naturam v. producitur, quod producitur eo modo, quo aliquid producitur à naturali agente. His constitutis, dicimus I. Actus notionales non fiunt necessariò, necessitate violentiæ: quia hujusmodi necessitas imperfectionem maximam dicit, quæ procul est â divinis II. Actus notionales non sunt necessarii necessitate immutabilitatis præcisè. Sequeretur n. actus hos etiam posse non-esse. III. Actus notionales sunt necessarii necessitate simpliciter. Nam intellectus infinitus & voluntas infinita ad objectum infinitum se habent

habent perfectissimo modo se habendi *h. e.* necessariò simpliciter. *Deinde*; produci non necessariò simpliciter dicit imperfectionem in re, quæ producitur, quia dicit potentiam ad esse & non-esse: sed hoc repugnat personis divinis. *Adde*; Pater & Filius necessariò se amant, necessitate determinationis, non enim potest Summum Bonum comprehensum non amari: ergò eâdem necessitate Spiritum S. producunt. Hinc Richardus de S. Vict. *l. III. de Trin. cap. 6. Divina persona*, inquit, *cùm sit summè bona, non potuit velle carere Majestatis suæ consorte.* IV. Actus notionales non sunt voluntarii *causaliter*, quia non sunt à voluntate vel eliciente, vel imperante s. applicante, tanquàm intrinseco principio, adeoq; merè naturales. Et hoc est, quod Damascenus docet *l. I. c. 8.* Γέννησιν esse ἔργον φύσεως; sed κλῆσιν θελήσεως. Vid. Swaretz. *l. VI. de Trin. c. 3.* V. Sunt tn. voluntarii *objectivè*, (quia Pater necessariò vult esse: ergò necessariò vult generare:) & quidem voluntate antecedente. Nam Pater non vult generationem, voluntate qs. desiderii, sed voluntate complacentiæ perfectissimâ, quæ est de bono existente jam & possesso: talis autem voluntas supponit cognitionem ejusdem boni, etiam ut existentis, & possessi. VI. Actus notionales nullo modo liberi sunt, quatenùs libertas opponitur necessitati intrinsecæ. Quod constat ex

ex iis, quæ dicta sunt n. III. Si tamen liberum & spontaneum pro eodem habeas, non repugnat, eundem actum simul esse naturalem & liberum illo modo, qui tamen accuratiùs diceretur voluntarius.

§. 360. Circà actus notionales consideramus *tùm* principium, *tùm* terminum. De Principio disputatur *an sit*, & *quodnam sit?*

§. 361. Datur omninò in divinis *principium formale* actuum notionalium. In Deo enim datur realis productio: quæ sine vero & reali principio producendi non potest intelligi. Nam actus secundus essentialiter præsupponit primum: productio autem in divinis concipitur ad modum actus secundi, ergò requirit aliquid, quod possit concipi per modum actus primi, & hoc vocamus principium quo.

§. 362. De quidditate hujus principii quo s. formalis actuum notionalium intricatè varia disputant Scholastici. *Quidam* dicunt, non esse distinguendum quo & quod: sed erroneâ nituntur hypothesi, quod nempè in divinis non distinguantur abstractum & concretum. *Alii* dicunt, formale principium horum actuum esse relationem propriam personæ producentis. Verùm constat, nec personam producere per suam personalitatem, nec relationem esse activam. *Nonnulli* dicunt essentiam & relationem simul esse

esse hujusmodi principium. Et horum *quidam* contendunt, essentiam & relationem ex æquo; *alii* essentiam; *alii* relationem principaliter concurrere. Sed jam dictum est, personalitatem, vel relationem non esse principium producendi nec totale, nec partiale. Thomas in *I. dist. XXIX. qu. XLI, art. 5.* Cajetanus, Scotus, Gabriel, Capreolus eum universo Theologorum torrente omnium optimè docent, Principium formale actuum notionalium esse solam divinam essentiam, cum relatione propria in personâ producente, s. quod habeat ipsam naturam sine tali productione. Probatur quoad *primam* partem, *tùm*, quia in omni productione illud est principium quo producendi, in quo productum assimilatur producenti, quod est natura in personis divinis: *tùm*, quia Pater per id est formaliter potens ad generandum, per quod est fœcundus, habet autem fœcunditatem non à relatione, quæ incommunicabilis est, sed ab essentia, quæ propter suam infinitatem est communicabilis. Quoad *secundam* partem; quia *v.g.* potentia generandi est propria patris: ergò oportet, ut aliquo modo includat proprietatem propriam Patris: ergò illam includit, saltèm, ut conditionem necessariam ex parte personæ producentis. Et sic proportionabiliter in spiratione.

§. 363.

§. 363 *Terminus adæquatus* actuum notionalium est persona producta: *Terminus formalis* est essentia, ut communicata personæ: (relatio non requiritur, nisi ut conditio necessaria,) Nam in omni productione formalis terminus est natura, s. forma, in quâ productum assimilatur producenti, quia producens intendit sibi assimilare productum, & illi communicare esse suum. Jam autem divina natura est, in quâ persona est similis producenti, &, quæ primariò communicatur: ergò eadem est terminus formalis.

§. 364. Superest, ut breviter declaremus, quomodo actus notionales de Deo prædicentur. Ubi dicimus (1) Actus notionales propriissime ac verissimè enunciantur de personis divinis, propriis nominibus significatis in concreto. Sic rectè dico, *Pater generat, Pater & Filius spirat.* (2) Actus notionales non prædicantur de proprietatibus divinis in abstracto significatis. Sic non rectè dico; *Paternitas generat.* Nam actiones sunt suppositorum, & non formarum in abstracto. *Dices;* Pater generat. Paternitas est &c. E. &c. *Resp.* Quaternio est in argumento, ob variationem suppositionis, quia sensus identicus mutatur in formalem. (3) Actus notionales rectè prædicantur de Deo significato per nomina essentialia in concreto sumta. Sic rectè dico: *Deus generat. Dices;* nomen concretum formaliter significat natu-

naturam communem. *Resp.* tamen ex vi modi significandi, aptum est supponere pro persona, quia significat naturam, ut per se stantem, & ut est in suo supposito. Ergò in hâc propositione, *Deus generat*, subjectum rectè supponit pro persona Patris, ad quam etiam per prædicatum restringitur. (4) Actus notionales propriè non prædicantur de Deo, ut significato in abstracto per terminum essentialem. Sic non rectè dico: *Essentia*, vel, *Deitas generat*, quia generans & genitum distinguuntur realiter. Sig. essentia generaret, produceret rem realiter à se distinctam. Plures hic cumulare Regulas, instituti Ratio non patitur. Nos, missâ generali consideratione SS. Trinitatis, paucis, quantum caligo viæ patitur, ea attexemus, quæ considerationem specialem habent.

CAPUT XXIII.

DE

Persona Patris.

§. 365. PRima Persona in Deitate est *Pater*. Prima, sc. ratione originis, s. productionis, non naturæ, temporis & dignitatis. Sunt n. 3. personæ ὁμοούσιαι καὶ ἰσότιμοι. Rectè igitur Athanasius in Symbolo: *Nihil in Trinitate prius aut posterius, nihil majus aut minus.* Pater autem prima persona dicitur, quia est fons & origo Deitatis.

§. 366.

§. 366. Quando divinitas intrà se describitur, nomen Patris sumitur ὑποστατικῶς: quando v. fit relatio ad creaturas, sumitur οὐσιωδῶς, & complectitur omnes tres personas. Prior tamen nominis acceptio principalius Deo convenit, quia naturaliter & necessariò generat Filium sibi consubstantialem, liberè a. tantùm, ut creaturas omnes condidit, ita quoq; Angelos & homines sibi adoptavit.

§ 367. Character personalis Patris alius est *internus*, alius *externus*: Internus alius *positivus*, ut *Paternitas*, alius *negativus*, ut *innascibilitas*. Externus est *creatio*.

§. 368. Character internus positivus est *paternitas*, cujus principium est *generatio*. Ubi supponimus (1) non quæri hîc de principio productivo, verâ & reali productione. (tale enim principium persona improducta habere nequit) sed saltèm de aliquo, quod sit qs. fundamentum, s. radix virtualis illius proprietatis in Deo, ad eum modum, quo dicimus, unum attributum esse rationem alterius, & *v.g.* voluntatem convenire Deo, quia intellectualis est. (2) principium aliud esse *remotum*, aliud *proximum*. His suppositis dicimus I. Fundamentum remotum Paternitatis est divina natura, hoc solo, quod est natura substantialis intelligens. *Dices*; natura divina est in omnibus tribus personis. *Resp.* Sed tamen aliter & aliter. II. Fundamentum proximum est generatio, quæ fit dicendo. Nullum n.

aliud excogitari potest. Si distinguas hic inter generationem actualem & aptitudinalem, repono, in Deo posse & esse non differre.

§. 369. Productio Filii est vera ac propria generatio. Conclusionem probat I. Fides *Psalm. II, 7.* בני אתה היום ילדתיך Propriam esse hanc generationem divinam sic probamus: Quicquid perfectionis est in creaturis, id Deo tributum propriè competit. Sed in generatione creaturarum est aliquid perfectionis. E. &c. Hinc rectè Damascenus *l. I. de O. F. c. 10.* inquit: ἀδύνατον θεὸν εἶναι ἔρημον τῆς φυσικῆς γονιμότητος. *Majorem* illustramus Regulâ, quam de attributis divinis in genere tradit Thomas: Cùm omnis perfectio sit in Deo, & nulla imperfectio; quicquid perfectionis invenitur in creatura, de DEO dici potest, quantum ad id, quod est perfectionis in ipsâ, remotâ omni imperfectione. Si nomen Deo imponitur ab eo, quod est imperfectionis, ut lapis vel leo, tùm dicitur de Deo symbolicè, vel metaphoricè: Si autem imponitur ab eo, quod est perfectionis, dicitur propriè, quamvis secundùm modum eminentiorem. *Minorem* probamus, quia in generatione creaturarum est aliqua perfectio, in eo, quod generans generat sibi naturâ simile, & quod generato essentiam communicat. Cum hâc perfectione tamen multiplex est conjuncta imperfectio, ut, quod illa generatio fit in tempore, quod fit κατὰ ῥεῦσιν s. deflu-

defluxum substantiæ generantis, & illius alterationem; quod gignens non totam, nec numero, sed specie tantùm eandem genito essentiam communicat, quod genitus est extrà gignentem, non solùm ab illo distinctus, sed etiam separatus, quod gignens indiget fœminæ auxilio, & quod generatio talis suum finem habet. Quæ imperfectiones omnes à divina generatione sunt remotissimæ. Nam Deus Pater generat Filium suum ἀχρόνως καὶ ἀνάρχως, *sine tempore ac initio*, διὰ τὸ ἄτρεπτον, *propter immutabilitatem suam*: ἀῤῥύτως, *sine defluxu*, & mutatione substantiæ, διὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀσώματον, *quia est impassibilis & incorporeus*, omnis motûs ac alterationis exsors: Deindè Filius Dei ex substantia Patris est genitus, sic, ut habeat totam essentiam Patris à Patre, & quidem essentiam individuam ac numero eandem, ita ut distinctam quidem habeat à Patre hypostasin, non tamen separatam, propter numericam essentiæ divinæ identitatem *Joh. I, 1. X, 38.* Ulterius Deus Pater generat Filium ἐκ δὲ συνδυασμοῦ *sine conjunctione cum alio.* Hanc genituræ rationem Spiritus S. *h. l.* per Davidem exprimit verbo ילד quod in 1. conjug. propriè de matribus parturientibus dicitur. Ac licet interdum etiam impropriè de viris usurpatum occurrat, *Gen. IV, 18.* sicut etiam nonnunquam apud Latinos, *parere*; & Græcos, τίκτειν

patribus tribuitur, tamen non est dicendum, quod Spiritus S. tali καταχρήσει voluerit enunciare admirandum hoc generationis divinæ mysterium, sed potiùs illud ideò adhibuisse, ut innueret, solum patrem genuisse Filium, & quidem ex seipso, ac in seipso, non secus ac mares ex se & in se solent gignere liberos, cùm patres Physici tantùm extrà se gignant. Hinc Aquila, teste Origene, verbum Hebraicum non vertit ἐγέννηκα, sed ἔτεκα. Denique Deus Pater Filium generat ἀκαταπαύστως *infinitè*, & sine ullâ cessatione, propterea quod caret principio & fine, ac semper sese eodem modo habet. Quam æternitatem insinuat Psaltes voce היום *hodiè*, quæ, prout excludit præteritum & futurum, adumbrat æternitatem. Conf. *Hebr. VII. 12. Dices*; Psalmus II. non loquitur de generatione æterna, sed resurrectione Filii Dei, sicut patet ex *Act. XIII, 33* Sic vult Schmalzius contrà Schmiglizium *de nat. D. F. c 11.* Ostorodus *Inst. c. VIII, p. 54.* & Enjedinus in *comm. super Ps.* Sed *Resp.* esse ambiguitatē in voce ἀναστῆσαι, quæ ut & vox ἐγείρειν, modò significat exhibitionem & missionem Messiæ in mundum; modò resuscitationem ex mortuis. De posteriore significatu nullum est dubium: in priore de Christo usurpatur *Act. II, 30. III, 23. 26.* conf. *Matth. XXII, 24. Luc. VII, 16.* jam quæritur; *utra significatio sit hujus loci?* Hic nos dicimus (1) priorem significationem huic loco propriam esse, de-

demonstrat contextus, in quo duo distincta probat Paulus, & ex particulâ ἀναστήσας (δὲ) apparet. Horum *primum* est, quod Deus misso Christo promissionem Patribus factam impleverit; *alterum*, quod Jesum suscitârit ex mortuis. *Prius* probat, *tùm* ex præviâ apparitione Johannis *v. 24.* *tùm* ab ejusdem testimonio, de Christi divinitate *v. 25.* *tùm* à testimonio Davidis ex *Psal. II.* (2) si maximè concedamus, postremam verbi significationem hic locum habere, nihil tn. indè victoriæ accedet Photinianis, modò rectè hæc significatio accommodetur. Distinguimus ergò inter sensum literalem dicti Davidici, & inter usum, sivè accommodationem hujus sensus ad aliquam consectariam conclusionem probandam, quæ hîc esset, non nisi Filium Dei potuisse satisfacere pro peccato, & ex mortis vinculis dimitti. II. Non contradicit *Ratio*. Cui enim competit definitio, eidem & definitum. Atqui productioni Patris competit definitio generationis E. &c. *Minor* probatur, quia generatio est processio viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ ex vi processionis. Jam Verbum procedit à Patre, tanquàm vivens à vivente, maximè conjuncto, (*tùm*, quia est per actum immanentem; *tùm*, quia est de substantia,) in similitudinem (imò, in identitatem naturæ,) ex vi processionis.

§. 370. Hic v. nonnullæ occurrunt quæstiones, quæ breviter ventilandæ. Nam I. Quæritur; *An Pater generet Filium de substantia sua?* Acriter negant Photiniani. Vorstius *de Deo p. 24.* Sohnius *in exeg. p. 87.* Hic præsupponimus, vocem *de* non notare (1) *materiam*, vel qs. materiam, *tùm*, quia materia in generatione creaturarum non requiritur, nisi ob mutationem subjecti; *tùm*, quia materia vel qs. materia necessariò includit potentialitatem vel qs. potentialitatem: à Deo autem exsulat omnis mutatio, omnis potentialitas. (2) *nudam efficientiam*, s. originem; sic n. etiam creaturæ essent de substantia Dei, quia ab eo dependent, ut à primâ causâ efficiente. (3) *nudam consubstantialitatem:* sic enim & Pater esset de substantia Filii, quod non admittitur. Sed (4) *originationem & consubstantialitatem simul*, ut sensus hujus Propositionis; *Filius est de substantia Patris*, sit iste: *Filius est originatus à Patre, ut ei consubstantialis.* His prælibatis, affirmo quæsitum. Nam, sicut in creaturis Pater dicitur generare Filium de substantia, quia generando transfundit partem substantiæ in filium: sic in divinis pater dicitur generare filium de substantia suâ, quia non partem, sed totam substantiam ei communicat, quam etiam totam sibi retinet: eadem quippè substantia numero impartita, & omninò indivisa in utroq; existit. Hoc est, quod Athanasius dicit *in Symb.* Christum esse

Deum

Deum ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ante secula genitum.
Quæritur 2. *Quomodo Pater communicet Filio totam substantiam, non communicatâ paternitate?*
Hæc quæstio fluit ex priori: Si n. pater filio communicat totam substantiam, ergò etiam omnem realitatem, quæ est in substantia, &, per consequẽs, etiam paternitatem. Quò accedit, quod indivisibilis sit substantia divina, ita, ut nonnisi tota communicari queat: item, quod filius nòn possit esse vel perfectè æqualis vel absolutè consubstantialis patri, nisi omnem essentiæ realitatem à patrè habeat. Sed *Resp.* Pater omninò totam essentiam & omnem essentiæ realitatem filio cõmunicat, quam ipse habet, licet non secundùm omnem modum, quo ipse habet. Imò ipsam paternitatem filio impartitur, non tamen secundum esse relativum, ut est paternitas & patrem à filio distinguit, sed secundum esse absolutum, s. quatenus paternitas est essentia, quam Pater Filio communicat. Ubi nota diversas esse locutiones, quando dico; *Pater communicat filio paternitatem.* Et; *Pater communicat filio eam realitatem, quæ est paternitas. Illa* in rigore sumta falsa est, quia infert, communicari filio paternitatem, quoad esse paternitatis, quod falsum est. *Hæc* rectè intellecta veritati consona est.

§. 371. Quia Pater est prima persona in divinitate, & à Patre procedunt Filius & Spiritus S. ideò Pater rectè dicitur *principium* Filii & Spiritus S.

Principium enim *significat id, à quo aliquid procedit*, inquit Thomas *I. p. qv. XXXIII, a. 1.* ubi addit & hoc: *Græci utuntur in divinis indifferenter nomine causæ & principii, quia v. principium commune est, ideò Latini tantum nomine principii utuntur.* Quantò enim nomen communius, eò convenientius sumitur in divinis; quantò nomina magis specialia, tantò magis determinant modum naturæ convenientem. Hìc quæritur; *An Pater possit vocari principium totius Deitatis?* Resp. Neg. quia Deitas non procedit à patre, tanquam à principio. Sicut in Concilio Lateranensi definitum est, *essentiam divinam, nec generare, nec gigni, nec procedere.* Quando autem Patres Deum patrem vocant *fontem*, originem & principium Deitatis, est impropria locutio, quæ nihil aliud dicit, quàm patrem esse principium filii & Spiritus S. in quibus singulis tota Deitas est, sicut exponit Lombardus in *I. dist. 29. lit. A.*

§. 372. Non tamen hinc Filius & Spiritus S. rectè dicuntur *principiatum*. Nam principiatum propriè dicitur, quod est à principio factum, & quod habet principium durationis. Græci *abusivè* hâc voce usi sunt, & per principiatum nihil aliud intellexerunt, quàm ens à principio. Præstat ab hâc phrasi abstinere, ne in divinis concipiatur aliquid, quod non sit æternum. Quæritur; *An rectè dicam, Filius vel Spiritus S. habet principium?* Resp. Locutio

tio hæc *absolutè* posita in errorem inducit. Nam posset aliquis per hoc principium intelligere principium temporis. *Cum addito* tamen intellecta bona est, *h. m.* Filius & Spiritus S. habent principium productionis.

§. 373. Nonnisi æquivocè Pater dicitur *causa* Filii & Spiritus S. Græci hanc libertatem sibi sumserunt, ut vocem causæ tribuerent Deo ad intrà, sicut videre est apud Nazianzenum *Orat. XXIX.* Undè Damascenus *l. I. de O. F. c. 8.* solum Patrem dicit esse ἀναίτιον. Nec Latini ab hâc voce abstinuerunt, sicut patet ex Richardo de S. Vict. *lib. V. de Trin. c. 7.* Aureolo in *I. dist. 29.* Advertimus tn. Latinos Patres Deo hanc vocem applicare in ordine ad attributa essentialia, sicut Augustinus *l. VII. de Trin. c. 1.* inquit, *Deum sibi ipsi esse causam, ut sapiens sit, & ut sit.* Et Hieronymus in *Eph. III, 15. Deum suæ subsistentiæ causam esse*, quæ locutiones *negativè* intelligendæ sunt, scil: Deum non habere ab alio, ut talis sit, sed ex se talem esse. Patres v. Græci hanc vocem tribuunt DEO in relatione unius personæ ad alteram. Nos dicimus I. Propriè loquendo Pater non est causa filii & Spiritus S. Nam *vel* esset causa materialis; *vel* formalis; *vel* finalis; *vel* efficiens. Non *prima*; quia in Deo nulla est imperfectio, nulla potentialitas. Non *secunda*; quia hæc præsupponit primam. Non *tertia*; quia sic Filius non esset finis ultimus, ac, per consequés, nec Deo.

Neque *quarta*; quia filius non est effectus patris. *Adde*, quod omnis causa ordine naturæ est prior suo effectu, & essentialiter ab eo distinguitur. In Deo v. nec prioritas naturæ, nec distinctio essentialis locum habet. II. Nec tamen Græci sunt damnandi propter usurpatas voces ἀιτίας, αἰτιατὸς, ἀναιτίως. Nam, utut locutio sit periculosa, sensus tamen bonus est. Quod nobis n. est principium, illis est causa. Hinc Concilium Florentinum notat, Græcos non uti illo vocabulo, prout limitationem, aut dependentiam, sed prout dicit simplicem originem: & advertimus, etiam Græcos, cum de vera causalitate & efficientia loquuntur, terminum αἰτίας rejeciſſe. Nam expresè dicit Nazianzenus *Orat. XXXVI.* Θεότητα esse ἀναίτιον, *divinitatẽ esse causa expertẽ*, quia Θεῷ nihil πεσσβύτερον, *Deo nihil antiquius*. Et postea addit, filium existere ex Patre ἀχρόνως καὶ ἀναιτίως, *citrà tempus & causam*.

§. 374. Negativus character personalis Patris est *improducibilitas*, ἀγεννησία, ſ. ut loquuntur Doctores Scholastici, *innascibilitas*. Quidditatem ejus pulcrè explicat Basilius *l. I. cont. Evnom.* quando inquit: *Hæc est ingeniti significatio, non habere aliunde principium.* Hic a. notamus (1) nos ἀγεννησίαν vocare characterem negativum, saltem ad differentiam paternitatis, tanquàm characteris positivi. Aliàs hæc proprietas reipsâ affirmat, & dicit Patrem

Patrem esse a seipso. Qui enim à nullo factus, nec creatus, nec genitus est, is revera est à seipso. (2) necessariò dari in deitate personam improductam, quia alias in productionibus divinis processus fieret in infinitum: & hanc personam convenientius dici improducibilem, quàm innascibilem, quia hic terminus etiam Spiritui S. accommodari potest; ille v. in rigore sumtus non nisi Patri. (3) ingenitum nonnunquam excludere creationem, quo sensu omnes tres personæ deitatis sunt ingenitæ, *h. e.* increatæ: nonnunquam generationem propriè dictam, quo sensu etiam Spiritus S. recte dicitur ingenitus: nonnunquam omnem productionem (qs.) passivam, quâ ratione soli patri tribuitur, tanquam propria ejus notio. *Dices*; sola relatio constituit & distinguit personas. *Resp.* non ut relatio, sed ut proprietas. In divinis relatio & proprietas personalis realiter sunt τὸ αὐτὸ. Pater ità est à nullo, ut ab ipso sit filius per æternam generationem, & Spiritus S. per æternam processionem.

§. 375. Fundamentum formale improducibilitatis est paternitas; Patet 1. quia in patre nihil est, nisi essentia & relatio, s. paternitas. Jam ingenitum esse non fundatur in sola essentia, quippè, quæ communis est omnibus tribus personis. Non quidem negamus, essentiam posse dici qs. radicem improducibilitatis, quia ab illa qs. promanat proprietas, ratione cujus persona est improducibilis, non

non tamen est proprium & ql. formale fundamentum ejus. Ergò est relatio, s. paternitas, per quam pater constituitur in esse patris 2. paternitas ex intrinseca sua ratione habet, quod sit antè omnem originem, quia constituit principium primæ originis, antè quam non potest esse origo, ac, per consequens, ex propria ratione habet, constituere personam sinè origine ab aliâ. Quid autem hoc aliud est, quam esse fundamentum improducibilitatis? vid. Swaretz *l. VIII. de Trin. c. 2. n. 9.*

§. 376. Non tamen paternitas sub ratione paternitatis est ratio præcisa & adæquata fundans improducibilitatem patris, sed sub ratione entitatis hypostaticæ primæ, ut acutè docet Joannes de Rada, *Controv. Theol. p. I. contr. XXV, art. II, concl. 4. & 5.* Probatur *prius*, quia, si in Deo tantùm esset unica persona, illa verè esset ingenita, (non n. procederet ab alio,) & non ratione paternitatis. Probatur *posterius*, quia positâ entitate primâ singulari communicabili, ponitur improducibilitas, & sublatâ tollitur.

CAPUT XXIV.

De

Persona Filii.

§. 377. Secunda Deitatis persona est *Filius*, in quo consideranda veniunt duo (1) essentiæ θειότης (2) character hypostaticus.

§. 378.

§. 378. Quòd *primum* dicimus, Filium Dei esse personam verè divinam. Ut taceam Cerinthum, Gnosticos, Theodotianos & Paullianos; ex Historia Ecclesiastica constat, Arium docuisse, Christum quidem appellari Deum, per quandam excellentem participationem, non tamen verè & essentialiter esse Deum, sed creaturam. Vide Athanasium *Orat. II. & III. cont. Arianos.* Cyrillum Alexandr. *lib. V. Thes. c. 3.* Epiphanium *hæres. LXIX.* Theodoretum *l. III. hæret. fabul.* Arium posteà sequebantur Aërius & Evnomius, ut constat ex Nicephoro *l. IX, c. 17.* & Basilio *lib. cont. Evnom.* & denique Photiniani, quorum inter & Arianorum hæresin hoc potissimum est discriminis, quod *hi* Christum antè omnem creaturam à DEO conditum esse dicant; *illi* tùm primum ortum, cum ex Maria nasceretur. Nos contrà, Filium Dei esse verum Deum per essentiam, æquè ac Patrem, asserimus. Assertum est Fidei, quod, quia est vulgarissimi argumenti, & à modernis Theologis innumeris ferè testimoniis comprobatur, non tangam. Vide Chemnitium in *LL. CC.* & Gerhardum in *Loc. de SS. Trinit.* Rationes hic militant illæ, quæ probant Filium de substantiâ patris genitum, eandem numero possidere naturam divinam. Vide Cap. præced. *Dices* 1. creatura non est Deus. Filius Dei &c. *Prov. VIII, 22.* E. &c. 2. Quicunq; est DEO subjectus, ille non est Deus *I. Cor. XV, 22.*

3. Filius

3. Filius est patre minor *Joh. XIV, 28.* E. non est Deus. 4. Pater est Deus filii. *Joh. XX, 17. Eph. I, 17.* E. Filius non est Deus. 5. Solus Pater est verus Deus. *Joh. XVII, 3.* E. non Filius. Sed *Resp.* ad 1. (α) in Hebræo est קנני *acquisivit*, s. *possedit me*, sc. generando *Gen. IV, 1. Inst.* Targum habet בראני *Resp.* ברא apud Chaldæos de generatione usurpatur *Job. III, 3.* (β) posito, LXX. rectè expressisse ἔκτισε (pro ἔκτησε,) dicimus cum Thomâ *l. IV, gent. c. 8.* generationem filii dici creationem, non, quod sit ex nihilo, sed ut significetur, fieri sine ullâ mutatione producentis, vel producti. Ad 2. subjectionem illam intellige vel mediatam, quâ Filius Patri subjicitur in membris suis, prout explicant Cyrillus *l. X. Thes. c. 8.* & Ambrosius *l. V. de Fid. c. 6.* vel secundùm humanam naturam, ut vult Augustinus *l. I. de Trin. c. 8.* Ad 3. Græci de Christo hoc quâ divinitatem dictum volunt. Undè Damascenus *l. IV. de O. F. c. 19.* hunc loquendi modum dicit esse ὡς ἐξ αἰτίου τοῦ πατρὸς, atque sic pater foret filio major secundum divinam naturam ὡς ἄιτιον, tanquam causa, & ratione originis, non dignitatis. Sic Basilius *l. I. adv. Evnom.* λείπεται κατὰ τὴν τῆς αἰτίας λόγον ἐνταῦθα τὸ μεῖζον λέγεσθαι, ἐπειδὴ γὰρ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἡ ἀρχὴ τῷ υἱῷ, κατὰ τοῦτο μείζων ὁ πατὴρ ὡς ἄιτιος καὶ ἀρχή. conf. Theophylactum in *c. XIV. Joh.* Rectius Latini de Christo quoad humani-

manitatem hoc dictum volunt. Cyrillus *lib. X. in Joh. c.14.* & Augustinus *l.I, de Trin. c.7.* Et orationis series svadet, quia Christus in verbis antecedentibus de se loquitur, ut profecturo ad patrem: discedebat autem non in quantum Deus, sed in quantum homo. Ad 4. & hoc intelligendum est de Christo, secundùm humanam naturam. Vide Chrysostho-mum in *Joh. XX.* Cyrillum *l. XII. in Joh. c.51* Augustinum *tract. CXXI. in Joh.* Ad 5. Exclusivum *solus* hic non excludit reliquas Trinitatis personas à participatione esse divini, sed falsos Deos, *vel*; non excludit *alium*, sed *aliud*. Expresse Basilius *l.IV, cont. Evnom. Verus*, inquit, *ex oppositio ad falsò dictos distinguitur & appellatur.* Conf. Cyrillus *l. X, Thes. c. 6.*

§. 379. Quoad *secundum*, dicimus, Filii characterem personalem internum esse *nativitatem æternam*, s. ab æterno genitum esse à patre. Ex hâc fluunt, *tùm* nomina personalia, *tùm* distinctio personalis.

§. 380. Inter nomina personalia eminent hæc, quod (1) dicitur *Filius*, non ratione creationis, nec ratione gratiosæ adoptionis, sed ratione nativitatis æternæ à patre. (2) λόγος, *Verbum*, s. *sermo.* quæ appellatio fundatur in Scripturâ *Gen.I, 1. Psal. XXXIII, 6. Joh. I. 1, 14. I. Ioh. I, 1. Hebr. XI, 3. Apoc. XIX, 13.* Rationem appellationis eleganter monstrat Damascenus *l.I. de O.F. c. 6.* interprete D. Pelargo,

largo, ubi exhibet discrimen & convenientiam inter verbum Dei, & verbum oris humani. Discrimen est quintuplex (α) Verbum DEI subsistit in propria ὑπαρξίσ, à Patre discretum proprietate speciali, principii ac finis expers, & patri συναΐδιον: nostrum non per se subsistit, nec personali singularitate discernitur, sed est in aëre, tanquam accidens in subjecto, incipitq; proferendo, & desinit quiescendo. (β) Verbum divinum ex patris substantia est genitum, illiq; ὁμοούσιον: nostri sermonis nulla generatio est substantialis. (γ) Verbum Dei semper intimum est & patri immanens, extrà quem nec gigneretur, nec subsisteret: nostrum ad exteriora procedit & foràs effertur. (δ) Verbum Dei nullà successione fluidum, semper vivit, imò vita est æterna: nostri oris verbum evanidum est & fluxum. (ε) Dei verbum omnia habet vel possidet, quæcunq; pater: nostri oris verbum non sortitur ea, quæ sunt mentis formatricis. Convenientia in hoc consistit: quod sicut verbum ex mente ortum trahit, nec tamen prorsus idem, nec omninò diversum est ab ea: sic Verbum divinum idem est cum Patre ratione οὐσίας; differt à patre ratione subsistentiæ propriæ, s. ὑπαρξίσως. Ceterùm, cur Filius dicatur Verbum & quale, ad nauseam ferè Theologi moderni in suis scriptis inculcant. Videatur Ignatius in *epist. ad Magnesianos*: Athanasius in *orat. cont. gregar. Sabellii*: Irenæus *l. I, c. I. adverſ.*

adverſ. Valent. Ambroſius *l. IV. de F. ad Grat. c. 3.* Auguſtinus *l. I. de Trin. c. 6. Dices*; Quicquid eſt ipſum intelligere divinum, illud eſt eſſentiale, non perſonale. Verbum &c. E. &c. *Reſp.* Neg. *Min.* Verbum non eſt ipſum intelligere, ſed quippiam productum dicēdo, tanquàm expreſſa imago rei intellectæ (3) *imago*. Et hæc appellatio fundatur in Scriptura *II. Cor. IV, 4. Col. I, 15. Hebr. I, 1.* Quam appellationis rationem ad hunc modum interpretor: Sicut imago, quò perfectior eſt, eò perfectius rem, cujus eſt imago, repræſentat, & plurimum habet cum illa commune, ita quoq; Chriſtus Patri ſimillimus eſt, quoniam habet eandem cum patre eſſentiam. Sicut tamen imago diverſa eſt à ſuo exemplari, ita quoq; filiꝰ ſecundum ſuam perſonam à patre eſt diſtinctus. Sed & hoc imaginis proprium eſt, ut ſit deducta & expreſſa ab eo, cujus eſt imago; quoniam igitur à patre filius eſt, & non vice verſâ, ideò filiꝰ dicitur imago patris, pater autem non dicitur imago filii. Quoad nos Chriſtus dicitur imago patris, quia nobis in filio pater ſe perſpicuè conſpiciendum præbet. Conf. Nazianzenum *Orat. I. de F.* Ratione declaratur hæc veritas *h. m.* imago propriè dicta eſt ſimilitudo ab aliquo expreſſa. Talis imago eſt Filius, quia procedit à patre, & procedit illi ſimilis in natura ex vi proceſſionis ſuæ. Non g. ſufficit ad imaginem ſola ſimilitudo,

quia licet duo homines sint maximè inter se similes, si unus ab altero non procedit, non est unus imago alterius: duo ergò requiruntur ad imaginem, *similitudo* & *processio*. Quoad *primum* hîc notamus, quod ad imaginem non sufficiat similitudo quævis, sed quæ est in formâ specifica, aut in eadem naturâ, undè homo non dicitur imago Dei, sed ad imaginem Dei, quia non habet similitudinem qs. specificam cum Deo, nec refert Deum, ut Deus est. Deindè Filio Dei competit nomen imaginis propriè ac primariò propter eandem naturam, quam ex vi suæ processionis à patre accepit. Hinc Ambrosius *ad Luc. XXII. Solus Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis unitatem. Dices;* imago requirit similitudinem, non identitatem. *Resp.* Unitas numerica naturæ & identitas in illa non solùm non minuit proprietatem imaginis, sed potius perficit illam. Nam quanto major est illa unitas, tantò est perfectior convenientia in forma inter procedentem & principium suum, & hanc vocamus similitudinem, quicquid sit de relatione resultante. Circà *secundum* nota, imaginem posse duobus modis procedere ab eo, cujus est imago. (1) tanquàm *ab exemplari cognito* (2) tanquàm *à principio producente*. Posterior, non prior hîc habet locum, propter imperfectionem. Quæritur 1. *An filius sit imago sui ipsius?*

Resp.

Resp. neg. quia nec procedit à seipso, nec sibi ipsi est similis. Quæritur 2. *An filius sit imago patris, ut Deus, an, ut pater est?* Resp. (1) Verbum non est simile patri, ut pater, sed, ut Deus est, quia, ut recte monet Thomas *I. p. q. XXXV, a. 2.* similitudo non est attendenda in notionalibus, sed in essentialibus (2) Filius est imago patris, ut Deus est, formaliter loquendo, sic ut particula *ut* designet formalem rationem terminandi relationem imaginis, quamvis paternitas sit conditio necessaria, ut pater possit esse terminus illius relationis. Nam ex parte subjecti relationis (*Patris*) ratio fundandi relationem est natura ipsa, conditio a. necessaria est modus habendi naturam illam per processionem ab alio, qui terminus est talis relationis. Ex parte termini formalis ratio terminandi illam relationem, est eadem natura, conditio autem necessaria est modus habendi illam naturam per modum principii alterius, qui imago dicitur. Quæritur 3. *An filius sit imago Deitatis, vel hujus Dei, ut concepti præcisè, & abstracti à tribus personis?* Resp. neg. quia nec procedit realiter ab illo, nec deitas, nec hîc Deus generat. Quæritur 4. *An filius sit imago Spiritus S.?* Resp. neg. quia non procedit realiter ab illo. Et eâdem ratione concluditur filium non esse imaginem creaturarum (4) *Sapientia, Prov. VIII.* quæ tamen appellatio non nisi cum addito est personalis,

nalis, ut si dicas, *sapientia genita*, vel; *sapientia de sapientia*. Atq; hoc modo filius potest dici sapientia patris, sic tamen, ut genitivus *patris* non dicat habitudinem causæ formalis, sed solius originis.

§. 381. Nomina personalia insequitur distinctio personalis, quam exhibemus hoc canone: Filius Dei est peculiaris & alia à Patre & Spiritu S. persona. Quod suprà probatum dedimus, ubi egimus de distinctione personarum in divinis.

§. 382. Concludimus his porismatibus I. Filius Dei non est αὐτόθεος καὶ αὐθέσιος, quia per genituram habet Deitatem & essentiam sibi à patre communicatam. *Joh. V, 26.* Christus verè & seipso Deus est, non autem à seipso. II. Humana natura à λόγῳ assumta non est παρὰ λόγῳ contraria, nec facit compositionem aut quaternitatem in Deitate. Cujus prolixa probatio pertinet ad CHRISTOLOGIAM SCHOLASTICAM.

CAPUT XXV.

DE

Persona Spiritus Sancti.

§. 383. Spiritus S. est tertia Deitatis persona. Non rejicimus hîc Logicum illud probationis genus, quo Damascenus *l. I. de F. O. c. 7.* existentiam Spiritus S. confirmat *h. m.* Dato Verbo,

bo, datur Spiritus. Atqui in divinis datur Verbum. E. &c. Rationem connexionis in antecedente desumit *à simili*, quo, tanquàm χειραγωγία, increduli duci possunt ad mysterii hujus contemplationem. Sicut enim oris humani assiduus & inseparabilis comes est Spiritus, s. halitus ille corporeus, qui inter loquendum emittitur; ita Verbo illi æterno Spiritum adesse oportet, sed ejusdem naturæ, essentiæ & potentiæ. Attamen circà hoc probationis genus notamus, quod idem Damascenus *l. c.* notat, ingens esse discrimen inter nostrum & æternum illum flatum. *Noster* à substantia nostra planè alienus est, cùm sit aër, qui attrahitur & emittitur: *Divinus* autem patri & Filio est ὁμοούσιος. *Noster* non immanet nobis, sed extrà profunditur, vicissitudine quâdam nunc subiens præcordia, nunc exiens, undè & separatur à nobis: *Divinus* patri & filio intimè immanet, & est inseparabilis. *Noster* à nobis exspiratur, in auras dispergitur & evanescit: *Divinus* non est transitorius, sed æternus. *Noster* non est ὑπόστασις; *Divinus* est peculiare ὑφεστώμενον. &c.

§. 384. Sicut in Verbo, sic etiam in Spiritu distinctè consideramus, *tùm* naturæ divinitatem, *tùm* personæ proprietatem.

§. 385. Circà *Primum* dicimus, Spiritum S. esse personam divinam. Ut Saducæos taceam, qui in

universum negârunt, spiritum aliquid esse, scribit Augustinus *hæres. XLIX.* Arianos docuisse, Filium esse creaturam, Spiritum S. v. creaturæ creaturam, *h. e.* ab ipso filio creatum. Hic error occupavit ecclesiam sub initio seculi IV, imperante Constantino M. Eodem tempore Macedonius, qui ope Arianorum à Constantio Imp. ad episcopatum Constantinopolitanum, ejecto Paulo episcopo orthodoxo, evectus fuerat, planè ut Ariani, Spiritum S. esse creaturam dixit, undè & adsecl æ ejus πνευματομάχοι appellati sunt, sicut videre est ex Theodoreto *l. II. Hist. c. 6.* & Gregorio Nazianzeno *Orat.* XXXVII. Arii errorem eodem seculo incrustârunt Aetius Syrus, Diaconus Antiochenus, & Evnomius Galata, Episcopus Cyzicenus, Aetii discipulus, sicut apparet ex Epiphanio *hæres.* LXXVI. & Augustino *hæres.* LIV. Seculo VII. ortus est Petrus Abailardus, Gallus, qui, ut de eo Bernhardus *Epist.* CXC. inquit, *Deum Patrem* dixit *esse omni-f. plenipotentem, Filium semipotentem, Spiritum S. nulli potentem.* item; *Spiritum S. procedere quidem ex patre & filio, sed minimè de patris & filii substantia esse.* Succesit Seculo superiore Valentinus Gentilis, Consentinus Italus, qui ex mente Arianorum solum patrem divinam essentiam habere docuit, filium a. & Spiritum S. non tâm essentiam divinam, quam sobolem quandam ejus, ipsâ illa longè inferio-

feriorem, ab æterno tamen à patre productam & essentiatam. Contra hos omnes directa est nostra assertio: Spiritus S. est persona divina. Utrumq́; sc. Spiritus S. personalitatem, & personæ divinitatem, probat prolixè Fides, sicut in anteà citatis Theologis modernis ad oculum videtur. Rationes hîc urgendæ sunt eæ, quæ probant Spiritum S. per ἐκπόρευσιν à patre & filio idem numero esse divinum adipisci, quæ ex suprà dictis recolendæ Objectiones contrà divinitatem Spiritus S. solent afferri variæ, nos breviter ad præcipuas. *Dices* 1. per Christum facta sunt omnia, *Joh. I.* E. etiam Spiritus S. ac proindè non est verus Deus. Consequentia patet ex universali distributione. 2. Spiritus Sanctus gemit *Rom. VIII.* Deus autem non est capax gemituum. 3. Si Spiritus S. est Deus, E. vel est Deus ingenitus, vel genitus. *Non illud*; quia in divinitate non dantur duo ingenita, s. principii ad intrà expertia. *Non hoc*; quia non procedit per generationem. E planè non est Deus. 4. Spiritus S. effunditur & mittitur ab alio. Minor autem mittente est, qui mittitur, nec ubique est. *Ioel. II, 28. Ioh. XV, 16.* *Resp.* ad 1. distributio universalis, quam facit particula OMNIS, non est universalis *absolutè*, sed *limitatè*, cum restrictione ad materiam subjectam, eamq́; expressam, nempè ea, quæ facta sunt. Adeoq́; sub hâc universa-

\) distributione non comprehenduntur nisi ea, quæ facta sunt, inter quæ non est Spiritus S. Ad 2. ut taceam Chrysosthomum, qui hæc verba intelligi vult, non de persona Spiritus S. sed de spiritu hominis moto à Spiritu S. vel spiritu orationis à Spiritu S. immisso, *homil.* XIV. *in Epist. ad Rom.* dico cum Augustino *l. I. cont. Maximinum*, ly *postulare* cum gemitibus de Spiritu S. esse intelligendum *effectivè*, sc. h. m. *postulat*, i.e. facit, ut nos postulemus: Quam explicationem ipse Paulus insinuat *vers. 14. & 25.* Ad 3. (α) in antecedente est imperfecta enumeratio partium, nam ad genitum, & ingenitum datur tertium, nempè procedens. (β) alio modo Pater, alio modo Spiritus S. dicitur ingenitus. *Ille*; quia habet esse divinum omninò improducibile: *hic*; quia habet esse, non omninò improductum, sed non-productum per generationem. Improductum enim & ingenitum in divinis non reciprocantur, sed sunt termini, ut vocant, excedentes & excessi. Ad 4. (1) ex missione Sp. S. non sequitur aliqua minoritas, quia non mittitur ex imperio, sed ita, ut à patre & filio procedat & qs. emittatur (2) nec tollitur omnipræsentia, quia missio non est processio de loco in locum, sed visibilis tantùm manifestatio personæ invisibilis, quæ ab alio procedit.

§. 386. Ha-

§. 386. Habet autem Spiritus S. esse divinum ἐκπόρευτος s. per processionem, atq; hæc est personalis ejus proprietas.

§. 387. Procedit Spiritus S. tàm à *Filio*, quàm à *Patre*. Quod à *Patre* procedat, extrà controversiam est, & de fide certum *Ioh. XV, 26.* Anv. etiam à Filio procedat, de eo olim litis ferram reciprocárunt Græci cum Latinis. *Illi* docuerunt, Spiritum S. procedere à solo Patre, non à filio. Quam sententiam jam tùm Seculo V. Theodoretus in *refut. Anathem. Cyrilli c.* IX. defendit, donec Seculo XI, tempore Leonis IX. apertum schisma ortum est inter Ecclesiam Latinam & Græcam. Atque tunc ex Græcis Patribus hanc sententiam præ ceteris amplecti ceperunt Theophilactus (*in Ioh. III.*) & Damascenus (*l. I. de F. O. c. 11.*) donec in Synodo Florentina, Anno MCCCCXLI. rejecta est, & concordia quædam sancita, quæ tamen posteà rursus disiluit. Quid Græci prætendant, & quomodo hæc elidi possint, videri potest apud Swarezium *l.* X. *de Trin. c. 1. per tot.* Nos breviter adsertum nostrum probamus (1) ex Scripturâ, & quidem (*a*) ex illis locis, in quibus Filius dicitur habere ea, quæ Pater habet *Ioh.* XVI, 15. XVII, 10. Quicquid Pater habet, etiam habet Filius. Sed potentiam spirandi, s. producendi Spiritum S. &c. E. &c. *Dices* 1. Pater habet paternitatem, quam tamen non

habet Filius 2. non sequitur; potest producere. E. actu produxit. *Resp.* ad 1. Filius habet omnia, quæ filiationi non obviant. Ad 2. in divinis posse & esse sunt ἀνυπερφόρως. (β) ex illis locis, in quibus Spiritus S. aliquid dicitur accipere à filio. *Ioh.* XVI, 14. Jam persona una non accipit ab alia, nisi procedendo. *Dices*; loquitur in futuro, *accipiet*. *Resp.* 1. Æterna processio comprehendit omnia tempora. 2. significat futurum effectum. (γ) ex illis locis, in quibus Spiritus S. dicitur mitti à filio. *Ioh.* XV, 26. XVI, 7. missio autem in sui ratione importat processionem ab alio, & in divinis, secundùm originem, inquit Thomas *p.* I. *qu.* XLIII, *art.* 4. quod etiam evincitur ab *aliis* h. m. Spiritus S. mittitur à filio, vel per imperium, ut servus à Domino; vel per consilium, ut ægrotus à Medico ad balneum; vel per naturalem emanationem, ut flores ex arbore. *Non illud*; quia est omnipotens. *Nec istud*; quia est omnisapiens. *E hoc*. *Dices* 1. processio est æterna, missio est temporalis, quia Christus loquitur de futuro, *mittam*. E. mitti non est procedere 2. etiam Filius mittitur à Spiritu S. *Es.* XLVIII, 16. LXI, 1. nec tamen à Spiritu S. procedit. *Resp.* ad 1. Spiritus S. dicitur mittendus, non respectu mittentis & missi; (sic enim est æterna missio:) sed respectu eorum, ad quos destinata erat missio, & hâc ratione est temporalis.

Ad 2.

Ad 2. non quà Deus, sed quà homo. (δ) ex illis locis, in quibus Spiritus S. dicitur Spiritus filii. *Rom.* VIII, 9. *Gal.* IV, 6. *Phil.* I, 19. I. *Pet.* I, 11. Jam V. una persona non dicitur alterius, nisi propter processionem, nec ulla alia habitudo excogitari potest. (2) ex puriore Antiquitate, non tantùm Patrum Latinorum, Hilarii *lib. II. de Trinit.* Ambrosii *l. I, de Sp. S. c. 10.* Tertulliani *cont. Praxeam*, Augustini *l.* XV. *de Trin. c. 26.* Prosper. *l. I. de vit. contemp. c. 18.* Fulgentii *de fide ad Petrum Diaconum, c. II.* Sed etiam Græcorum, qui antè exortum schisma pronunciárunt, Spiritum S. esse ab utroq;. Didymus Alexandrinus *l. II. de Sp. S.* expresè dicit, Spiritum S esse ex Patre & Filio: Athanasius *in Symb.* Basilius *l. de Sp. S. c. 18.* Chrysosthomus in *Homil. de expos. Symb. Tom. V.* procedere à Patre & Filio: Cyrillus *l.* X. *in Ioh. c. 41.* non esse alienum à substantia filii, sed ex ea naturaliter procedere: Epiphanius *hæres.* LXII. esse ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, τῆς αὐτῆς θεότητος. Et quid multis? *omnium illorum incommutabilis vera, sententia tenebat, Spiritum S. à patre & Filio procedere:* ut dicitur in Concilio Lugdunensi *VI. Decret. Tit. I. c. unico.* (3) rationibus, quarum 1. petitur *à distinctione personali*: Quicunq; in divinis distinguuntur, illi distinguuntur per relationes oppositas, Atqui Filius & Spiritus S. &c. E. &c. *Major* constat, quia in divinis est summa ἑνότης, nisi

nisi relationum oppositio obviet. *Minorem* suprà dedimus probatam. 2. *à necessitate actuum notionalium.* Quicunq; habet potentiam activam producendi Spiritum S. is necessariò producit. Filius &c. E. &c. *Major* claret, quia actus personales, qualis est actus spirandi, sunt necessarii & naturales. *Minor* patet, quia (nostro intelligendi modo) Pater prius generat filium, quàm spiret Spiritum S. cùm prior sit actus intellectus, quàm actus voluntatis. E. in hoc (sic à nobis concepto) priori filius habet sibi communicatam à patre potentiam spirandi. 3. *ab absurdo*: Sicut absurdum est, cùm tres personæ divinæ habeant unicum numero principium creandi, quod una creet, non creante alterâ: sic absurdum est, cùm pater & filius habeant unicum numero spirandi principium, patrem spirare, filio non spirante. Sed contrà hanc veritatem multæ solent opponi objectiones, quarum præcipuas delibabimus. *Obj.* 1. Scriptura, quando de processione Spir. S. agit, meminit solius patris. *Ioh.* XV, 26. 2. absurdum est, Spiritum S. qui est unus, habere duo principia productiva. 3. Pater est sufficiens principium Spiritus S. Ergò non requirit auxilium filii. 4. Si Spiritus S. à filio procedit, E. est nepos patris: procedit enim ab ejus filio. *Resp.* ad 1. (α) non additur dictio exclusiva, multò minus negativa (β) imò v. in illis, quæ

quæ non repugnant filiationi, quicquid tribuitur patri, intelligitur tributum filio (γ) solius patris meminit, quia solus pater est principium, in quo, & à quo est virtus spirandi, ut innuit Augustinus *l.* III. *cont. Maxim. c.* 14. Ad 2. Pater & Filius in productione Spir. S. sunt principium unum, quia unâ spiratione spirant, & habent unam potentiam spirativam. Quâ occasione delabimur in quæstionẽ illã, apud Doctores Scholasticos tritissimam. *An Pater & Filius producant Spiritum S. in quantum sunt duo suppositа*, vel; *in quantum habent unam potentiam spirativam?* Hìc supponimus (α) non esse quæstionem de principio quo productionis Spiritus S, quod revera tantùm unum est, nempè potentia spirativa, eadem numero in patre & filio, diverso tn. habendi modo; in illo, ἀγεννήτως; in hoc γεννητῶς; (β) non quæri de unitate vel pluralitate virtuali, sed reali. His suppositis dicimus (1) in Patre & Filio est eadem numero vis spirandi. Si enim realiter distinctæ virtutes essent in patre & filio, *aut* illæ essent partiales, *aut* totales. *Non illud*; quia sic quælibet earum esset imperfecta, & neutra esset simpliciter principium Spiritus S. sed ex utraq; qs. per collectionem quandam coalesceret integrum principium. *Nec hoc*; quia aliàs duæ personæ essent duo spiratores substantivè, quod falsum esse, infrà demonstrabitur.

(2) Et

(2) Et ex hoc Pater & Filius sunt unum Spiritus S. principium, quia in utroque est eadem spirandi virtus, quæ est principium productivum Spir. S. Jam, sicut tres personæ propter unitatem essentiæ divinæ dicuntur unus Deus, & propter unitatem potentiæ creativæ unus creator; sic propter unitatem principii spirativi erunt unus spirator, & unum principium Sp. S. *Dices*; Si Pater & Filius sunt unum principium, tunc Filius est principium sui ipsius; quia est idem principium quod Pater. *Resp.* Filius in ratione filii non est idem principium cum patre, sed in ratione spiratoris. (3) Ex eodem principio Pater & Filius non possunt dici duo spiratores, sed unus spirator, duo spirantes: *Primum* probatur; quia terminus numeralis (*duo*) apponit suum significatum circà significatum formale substantivi (*spirator*) quod est vis spirativa, notatq; ipsam vim spirativam numerari in patre & filio, essecq; aliam & aliam, quod est falsum. Insuper, ut nomen substantivum pluraliter prædicetur in divinis, requiritur pluralitas & suppositorum, & formæ per illud significatæ. Hinc non rectè dico; *Tres personæ sunt tres creatores, tres dii, tres causæ. Posterius* patet, quia ibi numerale (*duo*) terminatur saltèm ad personas, earundemque pluralitatem significat. Insuper, ut nomina adjectiva prædicentur pluraliter in divinis, sufficit pluralitas

litas suppositorum, ut sic rectè dicam, *Pater & Filius sunt duo spirantes, tres personæ sunt tres creantes.* (4) Nec Pater, ut principium Filii, & Filio, ut principium Sp. S. sunt plura principia re, sed saltèm virtute. Probatur, *tùm*, quia in divinis omnia sunt unum, inter quæ non est oppositio relativa: *tùm*, quia potentia generativa patris, & potentia spirativa filii, non re, sed virtute differunt. (5) Ad productionem Spir. S. per se, ut est amor & nexus mutuus duorum, non requiritur personarum pluralitas, quod statuere videtur Thomas in I. *dist.* XI. *qu.* I, *art.* 2. & cum eo Cajetanus I. *p. qu.* XXXIII, *art.* 4. Ferrariensis IV. *cont. gent.* Capreolus in I. *dist.* XII, *qu.* I. *concl.* 4. Marsilius in I *qu.* XV. *art.* 3. Henricus I. *part. summ. art.* LIV. *qu.* 6. Contrarium docet Scotus in I. *dist.* XII, *qu.* 1. Gabriel, Durandus & alii, contendentes, per accidens esse, quod sint duo suppositа. Et fundamentum est, quia tota vis spirandi quà summum perfectionis gradum est in quâlibet persona, neq; in duabus simul perfectior est, quàm in singulis. Nec obstat mutuitas amoris, quia hæc intelligenda est de amore essentiali. (6) Ad productionem Sp. S. in hâc personali proprietate, quam nunc habet, *conditio sine qua non* fuit pluralitas suppositorum, (patris & filii,) in principio productivo. Probatur, quia Spiritus S. ex vi suæ proprietatis dicit habitudinem relati-

vam

vam ad patrem & filium, & realem ac personalem distinctionem à patre & filio. E. requirit utramque personam ad suam productionem: aliàs, nec ad utramq; posset referri, nec ab utraq; distingui. Ad 3. Pater est principium sufficiens creationis mundi, & tamen omnes personæ creant, quia habent eandem essentiam & potentiam. Ad 4. sicut non sequitur, Filius & Spir. S. procedunt à Patre, E. sunt fratres; quia uterq; non est filius: sic nec sequitur, Spiritus Sanctus procedit à filio, E. est nepos patris; quia non est filii filius, sed spiritus.

§. 388. Nec tantùm Pater & Filius spirant ut unum principium, sed etiam 1. *uniformiter*, si actum spirandi consideres *vel* secundum se, *vel* quatenus tendit in terminum productum, *vel* respectu virtutis spirativæ: quia actus spirandi est in se unus omninò in utroq;, & ad eundem terminum, sc. Sp. S. & ab eâdem numero virtute in utroq; existente dimanat. Si v. actum spirandi spectes in ordine ad suppositia spirantia, non uniformiter spirant pater & filius. Nam, sicut pater habet à se vim spirativam, filius v. à patre; sic quod filius spiret, habet à patre, pater v. à se. 2. *Æquè primò ac principaliter*. Probatur, quia ab utroq; est, tanquam ab uno principio, per unicam & eandem vim spirativam. *Dices*; obstat (1) Græcorum Patrum loquendi modus; *Spiritus S. pro-*

S. procedit a Patre per Filium. (2) illa Augustini *l.* XV, *de Trin. c.* 17. dicentis, *Sp. S. principaliter est à patre.* (3) illa Hieronymi *Epist. XXCIIX. Spiritum S. propriè à patre procedere.* Resp. ad (1) utuntur Græci illo loquendi modo, ut declarent, totam vim spirandi reduci ad patrem, ut primum principium & fontem, ac filium prius origine procedere à patre, quàm Spiritum S: ordinem tantùm personarum indicat hic loquendi modus. Ad (2) Augustino τὸ *principaliter* per κατάχρησιν idem est, quod *primordialiter.* Pater spirat principaliter, non, quod spiret principaliùs, *h. e.* perfectiùs ac nobiliùs, sed, quod spirandi principium habet à se, filius v. non nisi communicatum à patre. Ad (3) Exindè non sequitur, filium non spirare proprie. *Deinde*, Pater spirat propriè, *h. e.* tanquàm proprietarius, quia in habendo vim spirativam non est ab alio: Filius v. non sic propriè, *i. e.* à se, spirat, licet propriè, *i. e.* non impropriè vel imperfectè spiret. Cautè loquendum in hoc mysterio, & patrum locutiones magis excusandæ & declarandæ, quàm imitandæ sunt.

§. 389. Ex proprietate personali Spiritus S. fluunt *nomina personalia*, inter quæ eminent inprimis duo: Primum est nomen *Spiritus*, non quatenus deducitur à spiritualitate, (sic n. commune est omnibus tribus personis,) nec quatenus respectum habet ad spirationem activam ad intrà, (sic enim est

solius patris & filii,) sed in ordine ad spirationem passivam ad intrà, quatenus dicit *spiratum*: &, singulari Scripturæ stylo, in ordine ad spirationem activam ad extrà, prout ei singulariter attribuitur inspiratio prophetiæ divinæ & bonorum motuum. Hujus appellationis elegantem rationem indicat Becanus *Tract. II, Theol. Schol. c. VI, qv. I, n. 3.* *Spiritus*, inquit, *ex prima sua significatione significat halitum impellentem ac moventem. Est a. proprium amoris impellere ac movere voluntatem in rem amatam. Cùm ergò tertia persona procedat per voluntatem, & sit amor patris & filii, ab utroq; spiratus meritò dicitur Spiritus. Dicitur etiam sanctus, quia sanctitas iis rebus convenit, quæ in Deum ordinantur: Amoris a. est omnia in Deum referre & ordinare.*

§. 390. Atq; hoc nomen *Amoris* est secundum nomen personale Spiritus S. &, sicut suprà diximus, habet suum fundamentum in Scripturâ. Notamus autem hic, vocem *Amoris* hic non notare *actum amoris*, qui est essentialis & cõmunis omnibus personis: sed *terminum amando productum*, qui est personalis & designat solum Spiritum S. Non opus est, ut hic quæramus; *Ex quarum rerum amore Spiritus S. procedat?* infructuosa est hæc quæstio, nec caligo viæ patitur, ut in eam nervos intendamus. Interim, qui vult, potest legere Swarium *l. XI, de Trin. c. 2. per tot.* Nobis ventilanda sese offert illa quæstio; *An Pater & Filius diligant*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0390
DFG

ligant se Spir. Sancto? Apud Augustinum n. *l. VI, de Trin. c. 5.* reperimus illam phrasin, quod *Spir. S. sit amor, quo genitus à gignente diligitur, generatorem q; suum diligit.* Quamvis alii censeant, distinguendum esse inter has locutiones, *Pater & Filius diligunt se Spiritu S.* &; *Pater ac Filius diligunt se amore, qui est Spiritus S.* nec illam, sed hanc Augustino & Hieronymo tribuendam esse. Sententiarum hic invenies apud Doctores Scholasticos divortia. Lombardus *in I, dist. XXXII.* propositionem hanc putat esse falsam. Durandus *in I, dist. XXXII, qv. 1.* putat veram esse, sed non nisi per appropriationem, hoc sensu: *Pater & Filius diligunt se amore essentiali, qui appropriatur Spiritui Sancto.* Thomas, Bonaventura, Richardus, Scotus propositionem distinguunt. Thomas distinguit inter *diligere essentiale*, & *notionale*, & de *illo* propositionem falsam; de *hoc* veram esse affirmat. Thomæ discipuli propositionis hunc faciunt sensum: *Pater & filius diligendo se producunt Spiritum S.* Scotus ad diligere essentiale & notionale addit tertium, quod nec est merè essentiale, nec merè notionale, sed *mixtum*, & de *illo* ac *isto* propositionem negat; de *hoc* affirmat. Nos dicimus I. Pater & Filius non amant se Spiritu S. si diligere sumitur essentialiter, pro actu amandi. Nam Sp. S. non est amor essentialis, & amor essentialis ac esse in divinis identificantur. II. Pater & Filius non amant se Sp. S.

si amare sumitur purè notionaliter, prout idem dicit, quod spirare, s. diligendo producere, quia pater ac filius non spirant se Spiritu S. nec actus notionalis reflectitur suprà principium, à quo est. III. In rigore hæc propositio simpliciter est falsa, nec ab ullo Patrum prolata: Durandi tamen sententia, ubi opus est, defendi potest, & ea, quam diximus esse discipulorum Thomæ. Supposito autem dari amorem mixtum, qui nec sit purè essentialis, nec pure notionalis, sed primò significet habitudinem ad res dilectas, connotatâ relatione spirantis ad spiratum, quidni dicerem, Patrem ac Filium diligere se Spiritu S.? quod prolixè probat & tuetur Joannes de Rada *p. 1. contr. XVII, p. 285, 286. & seqq.*

§. 391. Tertium nomen adjiciunt Doctores Scholastici ex Augustino *l. IV, de Trin. c. 20.* quod est nomen *doni*. Sed hic nota, (1) donum nihil aliud esse, quam id, *quod datur ex liberalitate ad sui fruitionem*. Unde in rigore dici nequit, patrem essentiam suam donasse filio & Spiritui S. sicut locutus est Hilarius *l. IIX. de Trinit.* quem sequuntur Scotus & Biel. Nam donatio est libera largitio, productio autem in divinis est necessaria & naturalis communicatio. (2) donum in divinis nonnunquam sumi *essentialiter*, ut est dantis per identitatem: sic competit omnibus tribus personis. Nam etiam pater respectu nostri est donum sui ipsius, quia donando sese nobis communicat. Eò collimat, quod Christus

dicit

dicit apud Johannem: *Ad eum veniemus, & mansionem faciemus.* (3) nonnunquam donum sumi *personaliter*, ut est donum dantis per originem, & sic convenit non soli Spiritui S. sed etiam filio, respectu patris originantis (4) soli Spiritui S. nomen doni competere *per appropriationem aliquam*, ut rectè statuit Durandus *l. c.* quia solus, vi suæ processionis, procedit ut Amor: amor autem est primum donum, quia reliqua dantur per amorem.

§ 392. Coronidis loco quærimus; *An Spiritus S. possit appellari imago filii?* Sic n. ex Græcis Patrib9 locutum fuisse reperimus Basilium *lib. V. cont. Evnom. c. 8.* Athanasium *in Epist. ad Serap.* Damascenum *l. I, O. F. c. 20.* Resp. ex Thoma, nomen imaginis *vel* sumi *latè* pro perfecta similitudine, *vel strictè*, pro perfectâ similitudine ejus, qui ab alio nascitur. Priori; non posteriori modo posset concedi locutio, quamvis in universum commodius sit dicere, Spiritum S. esse utriusque *naturalem similitudinem*.

CAPUT XXVI.

DE

Missione Spiritus Sancti.

§. 392. Consequens æternæ ἐκπορεύσεως est *missio* Spiritus S. in tempore. Ubi prænotamus (1) Doctores Scholasticos hîc agere in genere de missione personarum divinarum. Nos

missionem Filii reservamus Christologiæ. (2) *missionem physicam* non posse applicari personis divinis. Hæc enim nihil aliud est, quàm regressus alicujus ab aliquo, in ordine ad aliquem terminum, vel locum, vel effectum, quæ inter homines fit *vel* per imperium, *vel* per consilium, *vel* per impetum, sicut dicitur mitti lapis vel sagitta. Hæc a. missio habet admixtas plures imperfectiones, nempè, mutationem rei missæ, sepè etiam mittentis, & separationem unius ab alio secundùm locum: divinitas autem omnis imperfectionis expers est. (3) In divinis differre generationem & spirationem; missionem & dationem; processionem & exitum. *Generatio & spiratio* sunt ab æterno, per χέσιν *tùm* ad suum principium; *tùm* ad suum terminum: quorum utrumq; æternum. *Missio & datio* tantùm sunt ex tempore, quia terminus est temporalis. *Dices*; principium est æternum, sc. processio. E. ipsa est æterna. *Resp.* principium creationis, quod est potentia Dei, etiam est æternum nec tn. ipsa creatio est æterna. Integra ratio missionis existit, quando ad principium accedit terminus: quia ergò per terminum temporalem completur & perficitur missio, dicitur æterna. *Processio & exitus* dicuntur æternaliter & temporaliter, prout terminus est vel æternus, vel temporalis. Sic Verbum processit ab æterno, ut esset Deus; in tempore, ut esset homo. (4) missionem reperiri in divinis,

vinis, sed nonnisi eam, quæ est per *processionem*, & includit geminum missi respectum, *tùm* ad principium s. mittentem, *tùm* ad terminum s. locum. Atq; adeò misionem nihil aliud esse, quàm *processionem ab aliquo principio ad aliquem terminum.* (5) Terminum missionis acquiri à misso, *vel* sic, ut anteà planè non sit habitus, quomodo mittuntur Angeli & homines: *vel*, ita, ut anteà quidem sit habitus, nunc tamen novo modo haberi incipiat, & hâc ratione mittuntur personæ divinæ. (6) in divinis propriè nullam personam mittere posse, nisi quæ est principium ad inrrà; nullam mitti, nisi quæ procedit: atq; sic nec pater propriè mittitur; nec Sp. S. propriè mittit. (7) impropriè loquendo divinas personas posse dici mittere seipsas, sicut Augustinus *l. II, de Trin. c. 5.* loquitur, *Verbum mittere seipsum*, quod in proprio sensu verum est hoc modo, ut Verbum, quatenus homo, dicatur missum à seipso, ut Deus est; impropriè hoc sensu, quod Verbum effecit effectum (sc. carnẽ,) ratione cujus dicitur mitti. (8) ad missionem (ut ita loquar,) passivam, necessariò requiri processionem. Nam per processionem accipit persona procedens & potestatem operandi, & auctoritatem se constituendi novo modo alicui. Mitti autem nihil aliud est, quàm, venire ad aliquem locum per virtutem alterius, impressam aliquo modo ei, qui dicitur mitti, ut inter homines imprimitur per imperium

vel consilium; rebus autem inanimatis per aliquem impetum, vel contactum: in divinis per naturalem productionem.

§. 393. His præmissis, & missâ missione filii, de quâ Paulus *Gal. IV, 4.* dicimus, Spir. S. verè mitti à patre & filio. Assertio est fidei *Joh. XV, 26.* Declarat ratio, quia verè procedit à patre & filio, nec repugnat ei habitudo ad terminum.

§. 394. Missio Spiritus S. ratione modi est *vel* invisibilis, *vel* visibilis.

§. 395. *Invisibilis* est, quæ fit modo invisibili, interno & spirituali.

§. 396. *Visibilem* missionem Scholastici Doctores in genere faciunt geminam: *unam* quæ fit *ad terminum sensibilem*, qualis est Verbi in incarnatione; *alteram*, quæ fit *per signum sensibile*, qualis fuit Sp. S. in Baptismo Christi, & hæc posterior hic solùm habet locum. Quæritur; *An visibilis & invisibilis missio Spiritus S. habeant se, tanquàm includens & inclusum?* Resp. Aff. si inclusionem illam intelligas absq; simultate temporis: Nam visibilis missio fit ad demonstrandam invisibilem, ut ea innotescat, nec tamen necesse est, ut eodem simul tempore sit missio visibilis, quo est invisibilis, sufficit invisibilem anteà fuisse, & jam innotescere per visibilem. Sic Spiritus S. visibiliter missus ad Christum in Baptismo, signabat πλήρωμα χάριτος, quod datum erat ei in instanti conceptionis. Hic insuper nota,

nota, quod missio visibilis *vel* sit substantialis, *vel* representativa: *illa* est solius Verbi in incarnatione; (Verbum enim incarnatum non representatur per humanitatem, sed ei realiter ac personaliter unitum est,) *hæc* ordinatur solùm ad significandum, non ad essendum, & competit etiam Spir. S. Representativa *vel* est purè talis, quæ tantùm notificat missionem internam jam factam; *vel* simul effectiva missionis internæ. Utraq; hîc locũ habet.

§. 397. Invisibiliter adhuc quotidiè mittitur Sp. S. in corda credentium, ut novos motus in illis accendat. *Gal. IV, 6.*

§. 398. In hâc missione efficit Sp. S. in cordibus credentium dona gratiæ, & sanctificantia, ratione quorum dicitur habitare in credentibus *Rom. VIII, 9. 10.* conf. *I. Cor. III, 16. VI, 19. I. Thess. IV, 8. I. Pet. IV, 14.* (conf. cum *Es. XI, 2.*) *I. Joh. III, 24. IV, 13.* in specie eos regenerando, *Joh. III, 5. Tit. III, 5.* & renovando *Rom. VII, 6. Tit. III, 5.* tùm illuminando mentem *Joh. XVI, 13. Eph. I, 18. Hebr. VI, 4.* tùm rectificando voluntatem, tùm sanctificando omnes animæ & corporis affectus β administrantia. *I. Cor. XII, 4 5. 6. 7 8. 9. 10. 11.*

§. 399. Invisibilis Spir. S. missio non tantùm fit *secundum dona*, sed etiam *quoad personam*. Assertum firmum est de Fide. Expressè n. Scriptura dicit, Spiritum S. esse in credentibus *I. Cor. VI, 19.* quod non intelligi potest de solis donis, *tùm*, quia

in tota orationis serie de ipsa persona Spiritus S. sermo est: *tùm*, quia templum soli Deo dicatur, non donis creatis, quæ accidentia quædam sunt. Conf. *Rom. V, 5*, ubi donum charitatis à Spiritu S. distinguitur, tanquam effectum ab efficiente, conf. *I. Joh. IV, 13*. Adde, quod Sp. S. quoad personam sit omnipræsens, E. non potest abesse à credentibus. *Dices;* Si Sp. S. est omnipræsens, quomodo præsens fit per missionem? *Resp.* Spiritus S. per missionem non acquirit novam præsentiam, quia non movetur, nec acquirit augmentum præsentiæ, vel ex parte sui ipsius, (propter eandem immutabilitatem:) vel ex parte animæ, (quia illa indivisibilis est, & toti Deo est totaliter ac intimè præsens secundùm essentiam) nec acquirit novum præsentiæ modum in re, (quia in divinis non datur magis vel minus,) sed novo præsentiæ modo adest, quoad effectum, quia persona ejus aliter vel aliter operatur. Atq; sic rectè dico, substantiam Dei omnibus esse præsentem; modum tn. substantialis præsentiæ esse varium, alium generalem, alium specialem, & hunc alium hypostaticum, alium gratiosum. Vide suprà, ubi de præsentia Dei dictum est, Ita senserunt Patres. Lege Ambrosium *de Spir. S. l. I. c. 4*. Augustinum *l. V. de Trin. c. 26*. Doctores Scholastici, Thomas *p. I, qu. XLIII, a. 3*. Alensis *p. I, qu. LXXIII. m. 4. a. 1*.

§. 400.

§ 400. Missionem Spir. S. Visibilem quadruplicem statuunt Theologi Scholastici, Thomas *l.c.a.7.* Biel. *I. sent. dist. XVI, qv. un.* Swaretz *lib. XII. de Trin. c. 6.*

§. 401. Missio *Prima* facta est in Baptismo Christi, in specie Columbæ *Matth. III, Joh. I.* Rationem hanc dat Thomas; quia columba est animal fœcundum, & designat in Christo auctoritatem derivandi gratiam per specialem regenerationem: Biel; ut significetur columbina simplicitas. Alii columbinam mansvetudinem hîc significari volunt *Matth. IV, 16. XI.* Nonnulli dicunt, hîc respici ad veterem figuram columbæ, quæ post diluvium signum renovati orbis ad Noachum detulit. Utrumque complectitur Chrysosthomus *Homil. XII. in Matth.* inquiens: Διὰ τι ἐν ἔδει περιστερᾶς; ἥμερον τὸ ζῶον καὶ καθαρὸν. ἐπεὶ οὖν καὶ τὸ πνεῦμα πραότητος ἐστὶ πνεῦμα, διὰ τοῦτο ἐν τούτῳ φαίνεται. ἄλλως δὲ καὶ παλαιᾶς ἡμᾶς ἀναμνήσαι ἱστορίας. καὶ γὰρ ναυαγίου ποτὲ κοινοῦ τὴν οἰκουμένην καταλαβόντος ἅπασαν, καὶ τοῦ γένους ἡμῶν κινδυνεύοντος ἀφανισθῆναι, τοῦτο ἐφάνη τὸ ζῶον, καὶ τὴν λύσιν τοῦ χειμῶνος ἔδειξε, &c.

§. 402. Missio visibilis *secunda* facta est in specie nubis lucidæ, cum Christus transfigurabatur in monte Thabor *Matth. XVII. 2. Marc. IX, 2. Luc. IX, 18. II. Pet. I, 16. 17. 18.* Causam hanc adsignat Tho-

Thomas, quod per nubem lucidam significetur plenitudo gloriæ Christi, participanda in refrigerio gloriæ: vel, exuberantia doctrinæ ejus. Biel, quod per speciem nubis lucidæ designetur à Christo elucidanda veritas. Alii volunt hîc respici ad discrimen legis veteris, quæ data est in nube densa & caliginosa, quo diversa temporũ οἰκονομία detur intelligi. Non desunt, qui statuant, Patrem in lucida illa nube, velut in externo quodam symbolo suam præsentiam manifestasse: Sed rectius dicitur, nubem lucidam in hâc θεοφανείᾳ fuisse symbolum præsentiæ Spiritus S. Distinguendum hîc est inter nubem ipsam, & vocem ex nube auditam. *Illa* fuit symbolum externum Spiritus Sancti; *hæc* Patris. *Dices*; opera Trinitatis ad extrà sunt indivisa. *Resp.* ratione effectionis, non appropriationis, s. termini.

§. 403. Missio *Tertia* facta est sub specie flatus, quando Apostoli acceperunt potestatem remittendi peccata. *Joh. XX, 22.* Rationem hanc addit Thomas, quod significetur processio æterna, unà cum effectu temporali. Biel, quod denotetur affectus vivacitas, flatus enim est vitæ signum. Alii, quod designetur virtus expellendi dæmones, ut notat Cyrillus *Catech. XVI.* Alii, quod significetur virtus mundandi corda à carnali palea, ut scribit Augustinus *serm. CXXCIIX. de temp.* Lege Gerhardum *in Harm.*

§. 404.

§. 404. *Quarta* missio visibilis facta est in die Pentecostes *Actor. II.* sub triplici signo sensibili, soni, spiritus vehementis, s. aëris vehementer concitati, & linguarum ignitarum. Thomas per linguas igneas vult significari effectum doctrinæ; Biel fervidam caritatem. Videri hic possunt Interpretes *super Acta*.

§. 405. Nos de missione visibili notamus 1. non statuendam in ea tantum *imaginariam visionem*, (qualis solebat esse Prophetica revelatio) sed *realem*, quia externis sensibus objiciebatur per aliquod signum, quod ipsos sensus externos movebat. 2. licet nostrum non sit, determinare *vel* materiam, *vel* formam, *vel* objectum proprium his signis, quippe quod ex divina voluntate & providentia dependet: tamen considerando missiones, prout factæ sunt, reperimus eas relatas esse *vel* ad auditum, *vel* ad visum, tanquam proprium signorum objectum. Materiam eorum fuisse *vel* aëream, *vel* illi affinem, *v. g.* vapores, exhalationes: quia talis materia est facilior cæteris ad transmutationes. Formam verò quoad sensibilia propria fuisse colorem aliquem, *aut* lucem, *aut* sonum; quoad communia, *vel* motum, *vel* formationem humanæ vocis, *vel* figuram, habentem aliquam analogiam cum re significanda *v. g.* columba cum puritate, mansvetudine &c. 3. res illas, quæ in his signis apparuerunt, tales revera fuisse, quales apparuerunt:

runt: sicut facilè constat ex enumeratione omnium missionum. 4. Res illas, quæ in hujusmodi signis apparuerunt, non fuisse á Spiritu Sancto hypostaticè assumtas, sed saltèm qs. per accidentalem unionem, quod vel ex eo patet, quod officio significationis impleto mox esse desierunt. Contrarium sensit Tertullianus *l. de Carn. Christi c. III.* 5. Cum corpora sensibilia, sub quibus hæc missio fit, ab omnibus personis fiant, tamen missionem hanc dici propriam Spiritus Sancti quia missio hæc non attenditur *secundum efficientiam* illius signi, sub quo fit, (quæ communis est tribus personis:) sed *secundùm repræsentationem* & significationem talis signi, quia solum Spiritum Sanctum repræsentat. *Dices;* opera Trinitatis ad extrà sunt indivisa. *Resp.* repræsentari per tale signum, non est opus ad extrà, sed quædam denominatio extrinseca.

INDEX

INDEX CAPITUM.

CAP. I. De Essentiâ & attributis divinis in genere.
II. De Unitate & Simplicitate Dei.
III. De Veritate Dei.
IV. De Bonitate Dei.
V. De Infinitate Dei.
VI. De Æternitate Dei.
VII. De Immensitate & Præsentiâ Dei.
VIII. De Incomprehensibilitate Dei.
IX. De Vita Dei.
X. De Intellectu, Scientiâ & Sapientiâ Dei.
XI. De Voluntate Dei.
XII. De Sanctitate Dei.
XIII. De Affectibus Dei.
XIV. De Virtutibus Dei.
XV. De Potentiâ Dei.
XVI. De Sufficientiâ Dei.
XVII. De Creatione.
XIIX. De Gubernatione & Providentiâ.
XIX. De Tribus Personis in Deitate.
XX. De Processionibus.
XXI. De Relationibus.
XXII. De Notionibus.
XXIII. De Personâ Patris.
XXIV. De Personâ Filii.
XXV. De Personâ Spiritus S.
XXVI. De Missione Spiritus S.

INDEX

Index Rerum præcipuarum, quæ in hoc libro tractantur.

A.

ABominatio *divina quid* pag. 217
Abraham, *quomodo mandatum divinum acceperit de mactando filio* 173
Accedere *quomodo dicatur Deus in Scripturâ* 66,67
Accidens *non cadit in Deum,* 10,21,22
Actus, actio, *actiones Dei quotuplices, & quomodo differant a Deo* 18,19
actus naturales Deo sunt impossibiles 253
omnis actus potentiæ divinæ est finitus 257
una numero actio potest provenire à duobus agentibus 280
Admirabilitas *Dei quid* 263
Adorabilitas *Dei describitur* 263,264
Æqualitas: *ad eam requiruntur tria* 303,304
datur in divinis ibid.
Æternitas: *Vox dicitur variis modis,* 53
æternum & æviternum quomodo differant ibid.
æternitas Dei quid? 54
quomodo probetur? ibid. & 55
æternitatis divinæ cõditiones quæ. 55,56,57,58,59
æternitas Dei quale Nunc sit 57
cur describatur per differentias temporum 58,59
quomodo coexistat omnibus tẽporũ differentiis 59
quibusnam actionibus competat 60

æternitas participata in creaturis non datur, nec dari potest. 56
Affectus *gemino modo Deo tribuuntur* 208
depurandi sunt ab imperfectionibus, ibid.
propriè & impropriè Deo competentes quomodo differant 216
Amor *Dei quid* 209
ejus objectum geminum ibid.
dicitur gemino modo 210
est in Deo geminus 191, 192
Pater necessariò amat filium, 209
Angeli *habent motum celerem* 63
non possunt esse simul in pluribus locis ibid.
vocantur ab Augustino corporei, 119
sunt immortales naturâ & χάριτι, 125, 126
possunt peccare & miseri fieri, 203, 204
Anima *dicitur corporea,* 119
est immortalis naturâ & gratiâ, 125, 126
separata quomodo sit incommunicabilis, 292
non est persona ibid.
Appetitus *est geminus,* 32
an & quis cadat in Deum ibid. & 51
Dei quoad propensionem est naturalis, & quoad usum liber 51
Arca *V. T. quomodo vocetur placamentum* 232
Aristoteles *quomodo docuerit mundum esse ab æterno,* 272

Attributa *Dei quænam, quomodo & undè dicantur* pag. 3 & 4
sunt essentialia, 4 & 5
an differant ab essentiâ divinâ, 5 & 313
an differant inter se realiter aut formaliter 5 & 6
quomodo habeant diversos effectus ibid.
quomodo diversas definitiones, 6, 7
an possint de se invicem prædicari ibid.
non sunt synonyma, ib. & 10
differunt per rationem 8 & 9
negativa quæ 10
quomodo ponant aliquid in Deo ibid. & 11
positiva absoluta quæ, 11
relativa quot modis dicantur ib. & 12
absoluta sunt vel ἀνενέργητα, *vel* ἐνεργητικὰ ibid.

B.

BEati *non necessariò vident omnia, quæ sunt in Deo,* pag. 109
vident in Deo, quicquid formaliter in eo est, 110
omnia attributa divina, 110, 111
tres personas Deitatis, 111, 112
non actus divinæ voluntatis liberos, 112
non necessariò creaturas 113
non vident Deum comprehensivè ibid.
non oculo corporis, sed intellectûs 114
Beatitudo *Dei describitur* 261
Benignitas *Dei quid,* 210
est gemina ibid.

differt

differt à misericordia pag. 210
habet quadruplex exercitium, ibid.
Bileam *quomodo jubeatur abire à Deo*, 225
Bonitas *Dei est triplex*, 29, 30, 31
primariò congruit cum voluntate divinâ, secundariò cum humana, 31, 32
quomodo congruat ibid.
est fons omnis bonitatis creatæ, 33
est summa non obstante, quod diabolis non monstraverit medium emergendi ad salutẽ ibid.
ejus exercitium est universale 34
est singularissima ibid.
essentialis ibid.
est independens, 35
non competit Filio & Sp. S. participativè ibid.
est immutabilis ibid.
communicativa sui 36
communicatione necessariâ & liberâ ib. & 37
sine multiplicatione & deficientiâ ibid.
est fruibilis ibid.
amabilis & delectabilis, 38
honorabilis ibid.
S.B. quomodò sit communicativum sui, 163
Boethius *refutatur in definitione personæ*, 291

C.

Calviniani *malè opponunt voluntatem revelatam arcanæ in mysterio salutis*, 166
malè opponunt volunt. signi & placiti 172

negant dari voluntatē conditionalē in Deo, 174, 175
negant, Deum posse facere, ut corpus unum sit in pluribus locis, 246
Celū. *Cur & quomodo Deus dicatur esse in celo*, 66, 67
Christus *dicitur principium opificii Dei* 45
quomodo non sit missus ad gentes 225
quomodo vocetur ἱλαστήριον, 232
pœnas peccati verè sustinuit. 237
Circumcisio *quomodo vocetur fœdus æternum*, 53
Circuminsessio *personarum in Deitate qualis sit*, 298, 299
quid requirat ibid.
non infert confusionem personarum ib. & 300
Clementia *Dei describitur*, 239
in eâ est duplex beneficentia Dei illustris, 240
Cognitio *Dei non est quidditativa*, 80
quotuplex. 1
naturalis quæ & quotuplex ib. & 2
consideratur dupliciter ibid.
est imperfecta ib. & 3.
habet finem geminum. ibid.
est apprehensiva, & quomodo, 81, 82
apprehensiva est triplex, 82
Compositio *quotuplex* 20
nulla cadit in Deum. ibid.
Comprehensio *undè dicatur*, 79, 80
homo non comprehendit Deum, 80, 81
Deus comprehendit seipsum, ibid.

propriè

propriè loquēdo non comprehēditur à seipso, 80,81
quomodo beati vocentur comprehensores, 113
Conclusio: *Theologicæ quæ sint*, 90
articuli fidei non sunt principia, sed cōclusiones, ib.
conclusiones Theol. duplices, 91
considerantur gemino modo. ibid.
quomodo spectent ad philosophiam, 92
non possunt probari ex Philos. 93,94
quæ non sunt merè revelationis, spectant quodammodo ad Philos. 94
ex potentiâ Dei nihil debet concludi, nisi constet de voluntate, 257
Concursus: *Deus ad omnes creaturarum actiones concurrit*, 279
quomodo concurrat cum creaturis 280
concursus Dei est simultaneus ibid.
Condescensus *divinus quis*, 82
Conditio: *Promissiones salutis sunt cōditionatæ*, 176
defectus conditionis in voluntate conditionali non est penes Deum. 175
Conservatio *Dei probatur* 271
est vel in essendo, vel in existendo ibid.
vel speciei, vel individuorum. 278
Contradictio *alia est vera, alia apparens*, 246
implicare contradict. quid ibid.
non est cōtradict. in hac propos. Deus est homo 247
non statim implicat, quod nobis videtur implicare. ibid.

Conversio: *Homo in conversione quomodo se habeat merè passivè,* 221
Corpus *Deus non habet* 118
quomodo à Patribus vocetur corpus, 119
Scriptura Deo membra corporea tribuit. ibid.
vox corporis à Patribus variè usurpatur. 120
corpus assumitur tribus modis ibid.
quomodo Christus in Vet. Test. corpus adsumserit, ib. & 121
Creatio: *A creatione quomodo Deus denominetur,* 49, 50
An Deus per actum creandi sit mutatus ibid.
quomodo creaverit omnia propter seipsum, 51, 52
creatio variè definitur à Scholasticis, 264, 265
quæ definitiones rejiciuntur. ibid.
est actio realis ibid.
quomodo sit productio ex nihilo ib & 266
definitur: ibid.
creationis causa efficiens est Deus ibid.
est saltèm una ibid.
tres personæ non rectè dicuntur creationis causæ sociæ, ibid. & 267
quomodo Pater vocetur causa προηγουμένη ib.
filius non est instrumentum creationis ibid.
per filium creata omnia ibid.
solus Deus potest creare ibid.
causa impulsiva quæ 269
materia quæ ibid.

forma

forma & finis quis 271
creatio est libera. 272
est vacua à mutatione ibid.
Deus creando non transivit ab otio in negotium, à potentiâ in actum ibid.
creatio est ἔναρχος ibid.
ἑξαήμερος, 273
Deus potuit omnia in momento creare ibid.
creatio & conservatio non differunt, 277,278
Creatura *non potest creare,* 267,268
non potest esse creationis instrumentum. ibid.
non est per accidens facta; 271
non potest esse æterna, 273
creaturæ omnes sunt bonæ, 274
non sunt bonæ per essentiam, 34,35
non sunt suarum actionum causæ principales, 279
Deus quomodo utatur operâ creaturarum 52
Crucifixio: *in crucifixione Christi aliter concurrit Deus; aliter Diabolus & Judæi,* 155
finis ejus quis 156
non fuit necessaria simpliciter. ibid.
permissa est à Deo 157
facta est quoad modum citrà voluntatem beneplaciti ibid.
in se antecedenter decreta est & volita. 158
est à Deo volita, & non; est necessaria; & non 159
si maximè à Judæis benè intenta, non tamen fuisset justa. ibid.

D.

DAmascenus *quomodo statuat personas Trinit. differre ratione,* 305,306
Decreta *divina quomodo sint necessaria,* 163,164
Definitio *passiva non competit Deo* 80
Deferere *quomodo dicatur Deus peccatorem, cùm tamen non velit peccatum.* 154,155
Desiderium *Dei differt ab amore,* 217
non tollitur per omnipræsentiam. ibid.
Desperare *quomodo dicatur Deus.* 220
Determinatio *divina circà peccatũ qua,* 285,286
DEUS *est ens à seipso* 45
non habet causam ibid. & 46
non est liberè justus, verax, &c. 162,163
de suo bonus, de nostro justus est 194
non agit contrà naturam vel legem suã. 204,205
in satisfact. Christi dispensavit circà legem suam, 205,206
est tardus ad iram, 235
in puniendo alienum opus facit ibid.
consideratur in satisfact. Christi non ut creditor, sed ut rector 239,240
non potest falli 250
non potest peccare ibid.
non potest mentiri. 251
non potest mori ibid.
non potest peccatorem absq; applicatione satisfact. Christi impunitum dimittere ibid.

non potest innocentem damnare, 252,253
nō potest facere, quæ semel decrevit non-facere 254
non potest facere alium Deum, ibid.
potuit simul facere, quæ fecit, 255
non potest ex præteritis facere non-præterita, & ex futuris non-futura ibid.
quæ fecit, potest meliora facere, quàm fecit, 256
non potest producere effectū numero infinitū. ibid.
nihil potest, quod non vult. 258
Directio *divina circà peccata quæ & qualis*, 285
Dolor *quomodo competat Deo*, 218
Donativum *est vox Romana militaris, & quid significet*, 228
Durandus *refutatur, quod statuit processiones divinas esse immediatè per naturam*, 312,313

E.

Essentia *Dei consideratur dupliciter*. pag. 1
non est de intrinsecâ ratione relationis, 326
Ethnici *quomodo dicantur ἄθεοι* 2
ignorare Deum. 84
Ex *in artic. de creatione non notat materiam, sed terminum & ordinem*. 269

F.

Facies: *quid sit, à facie ad faciem*. 83
Fides *non cadit in Deum*. 137
consideratur dupliciter 185
quomodo consideretur in justificatione 176

fides, quæ per charitatem efficax est, justificat 86
Filius *in enumeratione personarum nonnũquam anteponitur patri.* 44
non est instrumentum creationis 267
per filium creata sunt omnia ibid.
filiatio quomodo sit in patre 300
filius non habet esse productum 302
producitur per intellectum patris 314, 315
an possit dici principiatum patris 344
an habeat principium 345
est persona verè divina. 349, 350
quomodo vocetur filius, 351
verbum 352
imago 353
sapientia 355
non est αὐτόθεος 356
potentia generandi quomodo sit in filio 303
Fortitudo *an Deo competat propriè* 223
Fortuitum *an sit objectum gubernationi divinæ* 281
quomodo aliquid simul sit provisum & fortuitũ. ib.
Furtum *an sit peccatum* 207
an ablatio vasorũ Ægyptiacorũ fuerit furtũ ibid.

G.

GAudium *Dei quid* 218
Generatio *rectè dicitur processio filii* 318, 338, 341
Patris est vera ac propria, 339
in generatione creaturarum est perfectio cum imperfectione mixta ibid.

quo-

quomodo Deus Pater generet filium. 339,340
generatio filii an & quomodo sit de substantia patris 342
quomodo possit dici creatio. 350
Genus *non convenit Deo* 20
Gilbertus *Porretanus refutatur, quod docuit relationes personales differre ab essentiâ realiter* 325
Gloria *Dei qualis* 262
dicitur variis modis. ibid.
est finis omnis actûs divini ultimus ibid.
non illustratur per peccatum, tanquàm medium per se ibid.
ex gloriâ Dei resultant tria, 263
quot modis Deus patefaciat gloriam suam 264
Gratia *Dei est adjunctum bonitatis* 213
sumitur vel activè, vel passivè. ibid.
est varia, & habet distinctos actus. 214
sufficiens datur omnibus vocatis à Deo 220
præveniens non omnem tollit resistentiam. 221
est irresistibilis. ibid.
Græci *non sunt damnandi, quod patrem vocârunt causam ad intrà* 345,346
malè negant, Spiritum S. procedere à filio 361
Grammatica *quomodo Theologiæ inserviat.* 97
Gubernatio *Dei describitur & probatur* 278
habet actus varios ibid.
est vel mediata, vel immediata, 279
vel ordinaria, vel extraordinaria 287

Habi-

H.

HAbitus: *habituum enumeratio Aristotelica tantùm ad disciplinas humanas directa est.* 88,89
הוֹם *Ps. II, 7. quid votet.* 340
Humana natura *Christi potest esse in loco aut πῶς, citrà circumscriptionẽ aut definitionem.* 75,76
quomodo fuerit omnipræsens in statu exinanitionis 77,78,79
quomodo habuerit sibi cõmunicatũ totũ πλήρωμα Deitatis in statu exinanitionis. 7.8
quomodo denominetur ab attributis ἀνενεργήτοις. 8
an assumta sit in essentiam, an v. in relationem divinam 22
an quædam ignoraverit 140,141
non infert quaternitatem in deitate. 356
Hypostasis: *an in deitate sint tres hypostases.* 293

I.

JAcob: *An ejus conjugium fuerit propriè incestus.* 206
ירד *Ps. II, 7. quid significet* 339,340
nonnunquàm tribuitur viris. ibid.
Identitas *non tollit similitudinem in divinis* 354
Idola *quomodo dicantur falsi dii* 27,28
quomodo ὄντα ibid.
Ignis *infernalis an concurrat physicè ad torquendos damnatos* 268

Ignorantia *est triplex* 140
Imago *quomodo vocetur filius Dei* 353
ad imaginem non sufficit sola similitudo. 354
duo requiruntur ibid.
filius non est imago sui ipsius. 355
an sit patris, ut pater, an, ut Deus est ibid.
an deitatis, vel hujus Dei ibid.
an Spiritus S. ibid.
Immediatio *duplex est* 270
Immensitas *undè dicatur* 63,64
quid sit 64
quomodo differat à potentia præsto esse divinâ 68
quomodo ab ipsâ præsentiâ divinâ, 67,70,71,
72,73,74
est ipsa deitas 69
prædicatur de Deo in abstracto ibid.
est æterna. 70
absolutè necessaria. 73
una ibid.
non est causa omnipræsentiæ. 78
Immortalitas *Deo per essentiam competit.* 125
immortale per naturam dupliciter dicitur ibid.
Immutabilitas *Deo convenit quoad essentiam* 47
probatur 48
non tollitur per creationem & incarnationem. ib.
Impatibilitas *Deo competit* 122
Deus non patitur, quando blasphematur ibid.
Deitas non est passa. 122,123,124

quo-

quomodo a Patribus dicatur, deitatē passa esse 124
Deus realiter est passus in carne. 124,125
Impeditio *mali est triplex* 282,283
Deus impedit peccata multis modis 151
Impossibile *dicitur variis modis* 249
cadit, & non cadit sub potent. divinam ibid.
rectius dicitur, impossibilia non posse fieri a Deo, quàm, Deum ea non posse facere ibid.
impossibilia Deo sunt triplicis generis 250
impossibilia potentiæ divinæ sunt geminæ 253
quomodo Deo sint impossibiles actus naturales ib.
impossibilia alia sunt naturæ; alia naturâ. 260
Incarnatio *facta est sine mutatione λόγου.* 50
Incestus *quomodo pugnet cum jure naturæ* 206
Incommunicabile *duplex est* 292
Incomparabilitas *Dei describitur* 263
Incomprehensibilitas *Dei quid* 79,80
probatur ibid.
Incredulitas *sola damnat, & quomodo* 237
Independentia *Deo competit.* 45
Infinitas *dicitur vel privativè, vel negativè* 39
privativa non cadit in Deum ibid.
negativa quos terminos neget de Deo 40
describitur 41
est duplex ibid.
probatur 244
infinitas potentiæ divinæ est geminæ ibid.
Innascibilitas *quid dicat* 329

non

non est propriè dicta notio 330
variè sumitur 347
quomodo sit character negativus ibid.
fundamentum ejus formale quodnam sit 348
Invisibilitas *Deo competit* 170
Ira *propriè quid* 221
Deo competit improprie 222
dicitur vel formaliter, vel metonymicè ibid.
Justitia DEI *quomodo differat à misericordia* 6,234,235
quomodo sit major bonitate Dei 31
quotuplex 224,225,226
compensativa an Deo propriè competat ibid.
quomodo Deus vitã æternã tribuat ex justitiâ 228
voluntas Dei αὐτεξουσιὴ *in Scr. vocatur justitia vindicativa* 230
justitia vindicativa est vel stricta, vel tẽperata 231
quomodo demõstretur in remissione peccatorũ. ib.
est Deo naturalis. 233
justitia & misericordia non contrariãtur sibi 234
æqualiter sunt in Deo 235
justitia Dei quomodo sit infinita. 236
non inest Deo mutabiliter. ibid.

K.

KEckermannus *refutatur quod statuit personas Trinit. differre modaliter* 306
abutitur Justino Martyre ibid.

Libe-

L.

Liberalitas *propriè Deo non competit.* 223
gratiæ Dei abusivè à patribus vocatur liberalitas ibid.
Libertas *est multiplex* 330, 331
Dei non porrigitur ad moraliter contraria 164, 205, 234
Deus est liberrimum agens 164
actiones Dei ad extrà sunt liberæ 165
actus Dei liber quomodo possit fieri necessarius ib.
Locus: *Quid sit circumscribi loco* 61
circumscriptio localis non competit Deo 62, 64, 65
quomodo dicatur Deus esse in loco 66
locus internus non datur 76
Logica *quomodo inserviat Theologiæ* 97, 98
Longanimitas *Dei describitur* 238
habet 2. requisita ibid.
causam impulsivam geminam ibid.
finem duplicem ibid.
Lumen *datur triplex* 101, 102
lumen gloriæ quodnam habeat munus. 102

M.

Macedonius *refutatur, quod docuit, Spiritum S. esse creaturam* 358
Magistratus *dicuntur Dii, verè, sed non veri* 29
Magnificentia *Deo proprie non competit* 223, 224
Magnitudo *Dei non est extensiva, sed intensiva* 50
Malum *quomodo cognoscatur à Deo* 134, 136
quo-

quomodo dicatur in Scr. non videri à Deo 135
non fit ignorante Deo. 148
cadit sub cognitionẽ Dei practicã ib. *undè fit* 274
formaliter est privatio ibid.
semper est in bono, & à bono ibid.
non habet causam, nisi efficiẽtẽ 275. *est variũ* ib.
malum pœnæ quomodo Deus velit 161
quomodo sit à Deo 275
malum morale non est à Deo 276
quomodo Deus impediat malum. 283, 284
Mansvetudo *Dei describitur* 239 *est duplex* ibid.
Materia *est varia* 266
creationis est nulla 266
primitus creata quomodo caruerit omni formâ 270
non est confundẽda cum materia prima Aristot. ib.
considerat̃ tripliciter ibid.
quomodo dici possit nihilum 271
cur materia requirat̃ in gẽner: creaturarũ 342
necessariò includit potentialitatem. ibid.
Mediũ: *Deus mediis non utitur necess: sed liberè* 279
media gubernationis divinæ sunt varia 281, 282
Merces *alia legalis, alia evangelica* 227
cur præmia cœlestia vocentur merces ibid.
Metus *quomodo Deo competat* 223
Miracula *sunt varia, & multis modis efficiũtur.* 288
Misericordia *Dei quomodo sit naturalis, quomodo libera.* 163
describitur. 211. *sumitur vel latè, vel strictè,* ibid.
habet effectum duplicem ibid.

in Deo est per se 212
non tollitur per justitiam ibid.
habet distinctos actus ibid.
Missio *physica non est in divinis* 374
in divinis quid sit 375
an personæ mittant seipsas ibid.
ad missionem requiritur processio ibid.
missio Sp. S. quotuplex 376
non infert minoritatẽ nec tollit omnipræsentiã 360
an visibilis & invisibilis se habeant tanquàm includens & inclusum 376
invisibiliter quando mittatur Sp. S. 377
an mittatur secundum personam 378
missio visibilis est quadruplex 379 & seqq.
qualis visio fuerit in missione visibili 381 & seqq.
Moses *quomodo viderit Deum à facie ad faciem* 83
Mundus *est in seipso* 72 *non est ab æterno* 272
ne quidem per omnipotentiam Dei ab æterno potuit produci. 273
Mutatio *sumitur vel latè, vel strictè* 265
quomodo intelligendus canon; Quod transit de potentiâ in actum, mutatur 50

N.

Nates *Deo tribuuntur metaphoricè* 238
Natura: *Deus non agit contrà naturam* 260
Necessitas *est multiplex* 331
Negatio *de Deo quomodo efferatur* 85, 86
Nihil: *quomodo omnia sint creata ex nihilo* 269
creatio mediata quomodo sit ex nihilo 271
Nolle *Dei circà peccata geminum* 152

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0422
DFG

non rectè vocatur actio mixta 153
Deus non voluit malitiam Judæorum in crucifixione Christi 156
Notio *in divinis quid* 328
quomodo differat à relatione ibid.
quomodo salvari possit notionum numerus quinarius 329
notiones negativæ non sunt multiplicandæ ibid.
notionales actus an & quomodo sint necessarii, vel liberi 331, 332
quomodo sint voluntarii, quomodo non 332
quodnam sit eorum principium formale 333, 334
quemnam habeant terminum. 335
quomodo prædicentur de Deo 336
Numerus *est vel prædicamentalis, vel trascendentalis* 13, 14
personalis datur in divinis ibid.
sumitur vel strictè vel latè 309
ad numerum strictè dictum requiruntur tria ibid.
in divinis datur, & non datur numerus 310
Nunc *quotuplex* 57
Nusquam *quomodo dicatur esse Deus* 67

O.

OBlivio *Dei quid* 148
Odium *Deo competit* 214
quomodo Deus odio habeat impium ibid.
differt ab irâ 215
ergò peccatum est naturale ibid.
non est collaterale amori quâ omnes actus 216
Opinio *non cadit in Deum* 142

Ordo *juxtà quem Deus agit, est duplex* 287
Deus in gubernatione ordinariâ tur observet ordinem naturæ ibid.
ordo didascalicus in Theolog. quis 94,95
non intrinsecè includit prius & posterius, 308
quomodo detur in divinis 309

P.

PAter *an sit major filio* 43
an sit Deus κατ' ἐξοχὴν ibid.
an sit præcipuè omnipotens ibid.
an sit causa filii & Sp. S. 46,47, 45,346
necessariò amat filium 209
quomodo dicatur prima persona deitatis 336
Nomen Patris in divinis sumitur dupliciter 337
Patris character personalis quis & quotuplex ib.
Pater generavit filium de substantiâ suâ 342
quomodo pater communicet filio totam substantiã, non communicatâ paternitate 343
Pater rectè dicitur principium filii & Sp. S. 344
quomodo à Patribus vocetur fons ac principium totius deitatis ibid.
an possit dici, essentiam suam donâsse filio 372
quomodo possit dici donum respectu nostri ibid.
Paternitas *quodnam habeat principium* 337,338
quomodo communicetur filio à patre 343
Peccatum *Deus non vult* 151
nec ut pœnam antegressi peccati, nec ut occasionem boni 154
peccatũ ut peccatũ non habet rationem pœnæ ibid.
non præbet occasionem boni ibid.

non omnia peccata sunt suâ naturâ mala 206
considerantur vel in se, vel ut sunt expiata per Christum 236
quando sint simpliciter mortis meritoria ibid.
nullum peccatum damnat 237
punitur à Deo, vel in peccatore, vel in sponsore ib.
non est medium per se illustrandi gloriam Dei 262
Per *in Scr. nonunquàm tribuitur agenti principali* 267
Perfectio *Dei quænam* 30
esse infinitam probatur 50
vocatur magnitudo 30
est omnimoda & universalis ibid.
perfectiones creaturarum quomodo sint in DEO ibid. & 338
Permissio *Dei circà actus malos describitur* 152
differt à permissione humanâ 153
est varia 157, 284
Deus permittit peccatum voluntarie; non vult permissivè 152
Persona *in divinis constat ex tribus* 22
non rectè definitur à Boethio 291
rectè à Richardo 292
in Deitate sunt plures personæ 293
sunt tres personæ 294
tres personæ habent eandem numero naturam 295
sunt in se invicem per περιχώρησιν 297, 298
tres personæ propriè sunt unus Deus 300, 301
sunt omninò idem 302
sunt sibi æquales 303, 304

sunt sibi similes ibid.
non differunt ratione 305
non modaliter 306
non essent aliter, nec accidentaliter ibid.
sed realiter secundum origines 307
persona una quomodo sit prior altera 309
Philosophia *quomodo inserviat Theologiæ* 100
Photiniani *negant filium esse de substantia patris* 342
& filium esse Deum. 349
Pœna *peccati quotuplex* 286
Pœnitentia *quomodo Deo competat* 218
Polygamia *in V. T. an licita* 206
Posse *sumitur dupliciter* 253
Possibile *sumitur dupliciter* 245
repugnantia possibilitatis undè sumatur 246
absolute possibilia quomodo describantur ab Augustino 247, 248
Potentia *Dei sumitur variis modis* 240
δύναμις & ἐξουσία quomodo differant 241
essentialis potentia describitur & probatur ibid.
est ipsa essentia Dei 242
non est qualitas, nec habitus ibid.
potentia passiva non cadit in Deum 243
est vel naturalis, vel libera 243
infinitam esse non potest probari à posteriori ibid.
probatur à priori 244
quomodo excedatur à scientia 245
determinatur ejus objectum ibid.
dicitur omnipotentia 248, 256, 257

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0426
DFG

non versatur circà absolute impossibilia ibid.
distinguitur in absolutam & actualem 257
non rectè in ordinariam & extraordinariam 258
actualis est vel ordinaria, vel extraord. 259
actus divinæ potentiæ sunt duo. 264
Præsentia *Dei est relativa, ad creaturas* 69
non est ipsa deitas ibid.
non prædicatur de Deo, nisi concrete ibid.
nonnũquam sumitur pro potẽtiâ præstò essendi 70
cepit in tempore. ibid.
quomodo Deus ab æterno præsens dicatur fuisse in seipso 72
est libera 74
desinet ibid.
habet varios gradus 74,76,77
Primogenitus *aliquis dicitur variis modis* 318,319
quomodo Christus dicatur primogenitus. 218
Primitas *& postremitas quomodo dicantur de Deo* 41
essẽtialis & personalis quomodo differãt 42,43,44
personalis non tollit ὁμοουσίαν trium personarũ. ib.
Principium *cognoscendi geminum* 92
primum & unicum in Theol. est verbum Dei 92,93
principium primum in deitate aliud est ad intrà, aliud ad extrà 311,312
princip: productivũ aliud est quod, aliud quo 313
dicitur vel latè vel strictè 337
aliud remotum, aliud proximum ibid.
principium activũ vel agit liberè, vel natural. 330
Prioritas *est multiplex* 307

an & quomodo detur in divinis 308
Processio *quid sit* 311 *datur in divinis* ibid.
competit etiam primo principio 312
realis in divinis tantùm gemina est. ibid.
ō habet pro form: principio naturā, ut nat: 313,314
sed intellectum & voluntatem. 315
non tamen per actum intelligendi & volendi,
sed dicendi & spirandi 316
est immanens 317
non admittit sui similem ejusdem rationis ibid.
quomodo differant processiones divinæ 318
in creat: unum ab altero procedit gem: modo 316
Productio *absolutè non repugnat deitati* 295,296
quomodo includat imperfectionem ibid.
quomodo persona producta in deitate sit à se 297
Propositio *inusitata in Theol. quæ,* 98,99
Proprietas *personæ in div. est vel interna, vel ext:* 310
Providentia *Dei probatur* 276,277
habet pro objecto adæquato omnes res ibid.
habet actum geminum ibid.
non frustratur fine suo 278
non mutat rerum naturas 282
provid. Dei circà actu malos est varia ib. & seqq.

Q.

Quantitas *non competit Deo* 61
non datur immaterialis & insensibilis 64
non potest separari à corpore per Dei omnip. 74,75
non necessariò commensuratur loco 75,78,79

R.

Relatio *quotuplex* 21

non omnis est accidens 22
an relatio & essentia in divinis faciãt personã ib.
relationes quædam Deo competunt ad extrà, quædam ad intrà 320
aliæ sunt reales, aliæ rationales 321
relationes personales esse reales probatur ibid.
sunt tantùm quatuor 322
quomodo conveniant ibid.
quomodo discrepent 323
personales differunt realiter 324
ab essentiâ non differunt realiter, nec formal: 325
sed ratione raciocinatâ 326
relationes non sunt de intrinsecâ ratione essẽtiæ ib.
non differunt realiter, sed ratione à personis, quas referunt 327
sola relatio non constituit personam 347
Religio *nostra rectè vocatur Lutherana* 90
Remissio *peccatorum quomodo sit gratuita* 232
Reprobatio *non est absoluta* 167, 168
Resistentia *est gemina* 220
quomodo homo resistat Spiritui S. 221
Revelatio *divina gemina* 166
Revius *refutatur, quod vocẽ λόγος sumit tropicè* 315
& defendit concursum præeuntem 280
Rhetorica *quomodo inserviat Theologiæ,* 99, 100

S.

Sacramenta *an operẽtur physicè ad suũ effectũ* 268
Salomon *quomodo dicatur unigenitus* 318
Sanct: *Dei varia habet nomina* 203. *est summa* ibid.

Sapientia *Dei dicitur multipliciter* 127,128
quomodo filius vocetur sapientia patris 356
Scientia *Dei probatur* 128 *describitur* 129
servat ordinem in objectis ibid.
primariò versatur circà Deum, secundariò circà creaturas ib. & 130
est simplex & comprehensiva 137 *aeterna* 138
immutabilis 139
successiva ratione ordinis ibid.
perfectissima omni modo 140,141
certa & infallibilis 142
est vel intuitiva, vel abstractiva 146,147
quid tenendum de scientiâ mediâ ibid.
variè distinguitur ibid. & 148
Phrasis hæc; Deus scit aliquid extrà se, *est ambigua* 130
Deus scit omnia possibilia, etiam non-futura 131
futura contingentia 132
singularia ibid.
non vile scit ex intellectione rerum vilium 133
novit entia rationis 134 *mala* 135
scit omnia per essentiam ibid.
seipsum adæquatè 142
res possibiles futuras gemino modo 143
futura contingentia intuitivè 144
õ necessitat futuritionẽ rerũ absolutè, sed hyp. 145
Scotus *refutatur, quod statuit relationes ab essentia differre formaliter* 325
Similitudo *ex vi suæ significationis non requirit unitatem* 304,305

Tres personæ in divinis dicuntur sibi esse similes ib.
Simplicitas *Dei est absoluta, non comparativa* 19
probatur 20
Simulatio *vel dissimulatio an sit peccatum* 207
Spatium *statuitur triplex* 71
an detur imaginarium, & quomodo ab Augustino asseratur ib. & 72
immensitas Dei quomodo dicatur spatium ibid.
Species *intelligibilis ad quid requiratur* 108, 109, 136
Deus non intelligit per species 135, 136
Spes *quænam requirat* 219
quomodo Deo competat ibid.
Spiratio *activa non est relatio personalis* 323
est communicabilis ibid.
realiter differt à spiratione passivâ 324
quomodo differat à paternitate & filiatione ibid.
non est vera notio 330
Spiritus *sumitur dupliciter* 117
Deus est Spiritus ibid.
esse Sp. S. quomodo Logicè probetur 357
quomodo differat à Spiritu humano ibid.
est persona divina 359
quomodo dicatur ingenitus 360
procedit à patre & filio 361, 362, 363, 364
quomodo mittatur à filio 362
spiratur à patre & filio, ut uno principio 365
uniformiter 368 *æquè principaliter* 369
quomodo dicatur à patre procedere per filium, propriè, principaliter 369

cur vocetur Spir. S. 370 *cur amor* ibid.
an sit vinculū amoris inter patrem & fil: 371,372
quomodo vocetur donum 373
an possit appellari imago filii ibid.
quomodo præsens fiat per missionem 378
Substantia *dicitur tribus modis* 293
Deus quomodo non sit substantia 294
in deitate sunt tres substantiæ relativæ ibid.
Successio *quotuplex* 57 *non competit Deo* ibid.
quomodo in Script. prædicetur de Deo 58
quibus Dei actionibus competat. 60
Sufficientia *Dei describitur* 260
competit soli Deo 261
ex sufficientia fluit beatitudo & gloria Dei ibid.

T.

Temperantia *propriè non competit Deo* 223
Tempus *negatur de Deo certo respectu* 217
creationis fuit extraordinarium 272
Totum *quomodo dicatur Deus* 22,23
totum & totus in artic. de person. Chr. quomodo differant 23
Transsubstantiatio *est figmentum* 268,269
Trinitas *non potest probari ex naturâ* 289,290
non tamen est contrà, sed suprà naturam ibid.
ratio naturalis illam quodammodo declarat. 291
Typi *V. T. habent geminum officium* 232

V.

Valentinus *Gentilis blasphemè docuit de Filio & Sp. S.* 258,259
Ubietas *speciatim sic dicta competit Spiritibus* 62

quas cõditiones requirat 63 *non cõpetit Deo* 65
Spiritũ non excludũt corpora ab ubi, in quo sunt 62
Spiritus non possunt esse simul in pluribus ubi 63
Ubiquè *esse an Deo competat* 78
Velle, *non-velle, & nolle quomodo differant* 152
Veracitas *cõpetit Deo* 224 *includit duo* ibid.
Verbum *mentale quomodo producatur* 314, 315
Dei & oris hum: quomodo discrepẽt, quom: conv: 352
Veritas *Dei quotuplex* 24, 25
veritas essentiæ div: declaratur positivè, & neg. 25
cõgruit cum intellectu hum: saltèm secundariè 26
quomodo congruat 27 *est prima & summa* ib.
creaturis non competit per essentiam ibid.
Via *cognoscendi Deum ex naturâ est triplex* 85
Virtus: *non omnes virtutes Ethicæ Deo cõpetũt* 223
Visio *Dei est vel specularis, vel ænigmatica* 82
specularis undè dicatur & quotuplex 83
est vel naturalis, vel supernaturalis 84
naturalis est vel acquisita, vel insita ib. & 85
supernaturalis quid 86 *non est scientia* 87
non sapientia 87 *non habet pro objecto Deum* 95
non est prudentia 88
non est practica & speculativa simul 89
considerantur vel systhematicè, vel habitualiter ib.
similis est disciplinis non-theoreticis, à quibus tamen etiam discrepat 95, 96
est vel extraordinaria, vel ordinaria 97
ordinaria habet sua instrumenta ibid.
Visio beatifica *est intellectualis* 68, 114
principium ejus non est vis naturæ 101

ſed lumen gloriæ 102
objectū eſt ipſa eſſentia divina immediatè 103,104
non fit per ſpecies 108
tendit in omnia ea, quæ in Deo ſunt formal. 110
in Trinit. perſonarum 111,112
non tendit in actus Dei liberos ibid.
non eſt cōprehenſiva 113 *cur vocetur viſio* 114
eſt intuitiva. 115. *eſt ſimplex & apprehenſiva* ibid.
Vita *Dei dicitur multis modis* 116
deſcribitur & probatur ibid.
habet varios modos 117 *eſt ſpiritualis* 121
vita quomodo dicatur in ligno mortua 125
Vita æterna *propriè non tribuitur ex juſtitiâ* 226
quomodo vocetur merces 227
Unigenitus *quomodo vocetur Chriſtus* 318
Unio *perſonalis quomodo ſit fundamentum omnipræſentiæ* 76,77
Unitas *Dei quid* 12 *deſcribitur negativè* 13
poteſt concipi poſitivè 13 *eſt numerica* ibid.
eſt vel abſoluta, vel relativa ibid. *eſt unica* 14
dicitur de Deo & affirmativè, & excluſivè 15
eſt indiviſibilis ib. *prob. ex Script. & naturâ* 16,17
non tollitur per diverſas ἐνεργείας 18
Voluntas *hominis quomodo mala* 32
Dei diſtinguitur ab intellectu divino 149
dicitur tribus modis ibid. *eſt ipſa Dei eſſentia* 150
non tendit in malum culpæ 151
quomodo voluerit crucifixionem Chriſti 155
vult ſeipſum, & orta à ſe 160
quomodo velit mala pœnæ 163

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0434
DFG

est vel necessaria, vel libera 162,163
quomodo velit creaturas necessariò 164
est vel arcana, vel revelata 165
revelata non contrariatur arcanæ 166,167,168
arcana non est rimanda ibid.
alia est placiti, alia signi 169,170
non contrariantur sibi 171,172,173
voluntas libera alia est, quâ vult facere, alia quâ vult fieri ibid.
est vel absoluta, vel conditionata 174,175,176,177
conditionata voluntas duo includit 178,179
est aliquo modo absoluta ib. *semper impletur* 180
voluntas salvationis est conditionata 180 & seqq.
est vel antecedens, vel consequens 187,188,189
non contrariantur sibi 190
antecedens est tantùm voluntas secundùm quid ib.
non tollit perfectionem Dei 191
quomodo prior sit consequente 192
non tollitur per consequentem 193,194
voluntas salvandi quomodo sit melior voluntate puniendi 194
voluntas antecèd. seriò intendit omnium salutẽ 195
voluntas Christi in negotio salutis non discrepat à voluntate patris 198
voluntas Dei alia est efficax, alia inefficax 199
volitio divina est simplicissima 200. *indepẽdẽs* 201
æterna & ordinata ibid.
immutabilis 202,218,219. *sancta* 203
Urbanitas *Deo propriè non convenit* 224

INDEX dictorum Scripturæ, quæ in hoc opusculo explicantur.

Gen. *I*, v. *ult.* §. 40. c. *XVII*, v. 13. §. 53.
Job. *XV*, *16.* §. 204. Psalm. *II*, 7. §. 369. *V*, 5. §. 156.
Proverb. *IV*, *3.* §. 343. *VIII*, 22. §. 378.
Esai. *LXI*, 1 §. 387. Matth. *XI*, *28.* §. 174.
Marc. *XIII*, 32. §. 141. Luc. *XXII*, 53. §. 158.
Johan. *I*, *3.* §. 385. *XIV*, *28.* §. 378. *XV*, *26* §. 387. *XVI*, *14.* ibid. *XVII*, 3. §. 378. *XX*, 17. ibid.
Actor. *I*, *25.* §. 156. *IV*, *28.* ibid. *XIII*, *33.* §. 369. *c. eod. v. 48.* §. 184. *XVII*, *23.* §. 5.
Rom. *I*, *19. 20.* §. 72. *c. eod. v. 21.* §. 4. *III*, *26* §. 243. *V*, *23.* §. 228. *VI*, *v. ult.* §. 243. *IIX*, *26.* §. 385. *c. eod. v. 29.* §. 343. *IX*, *20.* §. 194.
I. Corinth. *II. per tot.* §. 89, 95. *VIII*, 4. §. 36. *XIII*, 12. §. 101. *XV*, *22.* §. 378.
Ephes. *I*, §. 184. *II*, *12.* §. 5.
II. Thessal. *II*, *13.* §. 184. *&* seqq.
I. Timoth. *II*, *4.* §. 172, 193.
I. Petr. *I*, *12.* §. 101.
II. Petr. *III*, *15.* §. 246.
I. Johan. *III*, 2. §. 101. *IV*, *12.* ibid.

Errata patentiora.

Pag. *2.* lin. *11. pro* γῶνλες *lege* γόνλες, p. *23.* l. *26. inter* neutra *&* Deus *pone* totus, p. *44.* l *4 pro* Siritus *lege* Spiritus, p. *123.* l. *25. deleatur unum* non, p. *143.* l. *23. pro* suo *lege* suâ, p *182.* l. *21. pro* dicimus *lege* dicimur, p. *294.* l. *17. pro* communicabiles *lege* incommunicabiles. p. *355.* l. *12. pro* Patris *lege* filii.

(o)

F. Reppien

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0439
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0440
DFG

quomodo dicatur in Scr. non 135
non sit ignorante Deo. 148
cadit sub cognitionẽ Dei præ 274
formaliter est privatio ibid.
semper est in bono, & à bon ibid.
non habet causam, nisi efficiẽ ib.
malum pœnæ quomodo Deu 161
quomodo sit à Deo 275
malum morale non est à De 276
quomodo Deus impediat ma ,284
Manſvetudo *Dei describitur* ibid.
Materia *est varia* 266
creationis est nulla 266
primitus creata quomodo ca 270
non est confundẽda cum ma ib.
consideratur tripliciter ibid.
quom do dici possit nihilum 271
cur materia requiratur in g 342
necessariò includit potentia ibid.
Mediũ: *Deus mediis non utitu* 279
media gubernationis divina ,282
Merces *alia legalis, alia evan* 227
cur præmia cœlestia vocentu ibid.
Metus *quomodo Deo competa* 223
Miracula *sunt varia, & mult* 288
Misericordia *Dei quomodo* omodo
libera. 163
describitur. 211. *sumitur* ibid.
habet effectum duplicem ibid.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226506/phys_0441
DFG